AELIA LAELIA
CRISPIS
NON NATA RESURGENS



PLVVIA
Marii Mich:
angeli.
AMOR
Jo: Casper
Gevartii.
NIO
BES
Agathiae
Scholas
tic.
TRIA
EPITA
PHIA
Zaccariae
Pontini.
D M
ÆLIA LÆLIA CRISPIS
NEC VIR NEC MVLIER NEC ANDROGYNA
NEC PVELLA NEC IVVENIS NEC ANVS
NEC CASTA NEC MERETRIX NEC PVDICA
SED OMNIA
SVBLATA
NEQVE FAME NEQVE FERRO NEQVE VENENO
SED OMNIBVS
NEC CŒLO NEC AQVIS NEC TERRIS
SED VBIQVE IACET
LVCIVS AGATHO PRISCIVS
NEC MARITVS NEC AMATOR NEC NECESSARIVS
NEQVE MŒRENS NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS
HANC
NEC MOLEM NEC PYRAMIDEM NEC SEPVLCRVM
SED OMNIA
SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT
ANIMA
RATIO:
NALIS
Ricardi
Viti.
MATERIA
PRIMA
Joannis
Turii.
LAPIS
PHILO
SOPHOR
Nicolai
Barnau
di.
EVNV:
CVS
Nicolai
Barnau:
di.
IDEA PLATO:
NIS
Ricardi Viti.
CANAPIS
Ovidii Montalbani.
GENERATIO
AMICITIA ET PRIVATIO
fortunii Liceti.
Aenigma, quod peperit gloriæ Antiquitas,
Ne periret inglorium,
Ex antiquato marmore hic in novo reparavit
Achilles Volta Senator.

AELIA LAELIA
CRISPIS
NON NATA RESURGENS

In Expoſitione Legali

CO: CAROLI CAESARIS MALVASIAE
V. I. ac Sac. Paginae Doct. Colleg.
Necnon in Patrio Archigymnaſio Horis Veſpertinis
ORDINARII LEGUM INTERPRETIS PRIMARII

ILLUSTRISSIMO VIRO
DOMINO. D.
IOANNI BAPTISTAE
COLBERT
DICATA.



BONONIAE, Typis HH. Dominici Barberii. 1683. *Superiorum Permiſſu.*

Expenſis Ioſephi Antonii Davici de Turrinis.



ILLUSTRISSIMO VIRO DOMINO
D. IOANNI BAPTISTAE
COLBERT
REGI AB INTIMIS CONSILIIS
Et Secretioribus Mandatis, Generali Aerarii Moderatori,
Summo Regiorum Aedificiorum Praefecto,
Regiorum Ordinum Quaestori etc.
CAROLUS CAESAR MALVASIA FELICITATEM.

NOvum et ipse super Aenigmatico AELIAE LAELIAE CRISPIDIS Epitaphio commentum editurus, in cujus nomine exiret, non fuit mihi diu-

tiùs cunctandum, COLBERTE ILLUSTRISSIME; quum enim maxima, quibus semel atque iterum me nuperrimè obstrictum voluisti, beneficia ad aliquam saltem grati erga Te animi significationem urgerent ac impellerent, meo huic voto morae impatienti, opusculum praesens, ad umbilicum jam deductum, opportunè satisfecit. Leve quidem, fateor, et exiguum aeternae observantiae pignus, sed quod celerem potiùs immensae obligationis meae confessionem acceptam referat, quàm ut tam grande aes alienum ullâ unquam ex parte expensum ferre valeat. Etenim quum, officioso accedente hortatu doctissimi Abbatis de la Chambre, meam PICTRICEM FELSINAM Invictissimo, ac semper Triumphatori LUDOVICO MAGNO, quin Ter Maximo, humillimè inscribere tunc tem-

poris

poris non timuerim; quum ad nova ſubigenda Regna, ſtrenuiſsimus Ipſe ſuarum Copiarum Ductor, à Regiâ aberat; ignota per annos, ac ferè obſcura in inclitae Verſalienſis Bibliothecae forulis latitabat. Tu verò, VIR ILLUSTRISSIME, incomparabili humanitate, quâ cunctos Literarum, ac Bonarum Artium ſectatores ſinu foves, nulloque non officio proſequeris, eandem conquiſitam (quod magnum fuit) afferri juſsiſti, luſtratam non ſemel; atque libratam (quod majus) laudaſti; Regiique intuitus ineffabilis gratiae non omninò immerentem (quod maximum) exiſtimaſti. Hinc ad Clementiſsimum tanti Herois aſpectum admota, Ipſius oblectamento, et (quod ſupra meritum valde fuit) commendatione dignata, Regale referre munus, tuis promeruit auſpiciis. Et quanquam

ſors

ſors invida impiè obſtiterit, dum execrando auſu, praedonis nefarii ſceleſta manus illud arripere non exhorruit, non es diù paſſus, me tanto orbatum ſplendore diutiùs vivere, cruciatuque intolerabili penè tabeſcere. Italum de ſacrilego facinore carmen, quod ira dolorque praecipiti muſâ dictaverat, per celeberrimum Le Brun, aevi noſtri verè Apellem, Tibi obſequentiſsimè porrectum, benignè excipis, exceptum REGI exhibes, novoque munere adepto, ſingularem Herois noſtri magnanimitatem, Elyſiae Arboris, inſtar praetioſis nunquam ramis deficientem, probas, et mihi iterùm mitti jubes. Dum igitur hanc alteram Monarchae noſtri Imaginem, quae duplici pariter adamantum, Syderibus ipſis clariorum, orbe cincta ac diademate redimita, SOLE ipſo qui REGEM, ſeu veriùs

quem

quem REX refert, splendidiùs emicat, flexo poplite, devotoque corde suscipio, suspicio, ac veneror, patere (Te supplex itidem oro) ne tam ingens decus, etsi mihi peculiare tantùm, Concivibus tamen commune meis, per Te nobis ex alto demissum hìc agnoscere, leviterque fateri, diutiùs morer. Tempus erit, quo, sedato paulisper immenso gaudio, vires colligam, atque amplissima meritorum tuorum spatia emensus, ad humilem denique devotionis erga Te meae aram, salsâ tantumodo nunc aspersam molâ, consistam, ubi digniori thure oblato, pinguiores victimas Tibi immolandas imponam. Interim dum hanc tenuem Inscriptionis declarationem praemitto, Te, Mecoenas optime, etiam atque etiam rogo, ut in meliorem partem hanc properam audaciam recipias, atque benignè excu-

ses,

ses, meque favoribus, quibus adhuc consuevisti, prosequi non desistas. Vale Literatorum Asylum: rarum seculi Decus. Deus Optum. Max. Te florentem, incolumem, et quàm diutissimè superstitem servet. Iterum Vale.

BONONIAE STUDIORUM K. VIIIBR. CIƆIƆCLXXXII.

DELLA SPIEGAZIONE
DEL PRESENTE OSCVRISSIMO ENIMMA
Essere il primo, e'l più efficace motivo
La riflessione, non meno che all' Ingegno Grande e Sublimi Talenti
di SVA ECCELLENZA,
Al SOLE, impresa di S. M.

Di oscuro Enimma i penetrati arcani (to,
Giust'è ch'io sagri à quel COLBERTO in vo-
Al cui Vasto Intelletto estri sovrani
San rivelar ciò che più giacque ignoto.

Senza i di Lui consigli, oggi i più sani,
Ne le Regie consulte oprasi à vuoto;
E sol da' suoi presagi, unqua non vani,
Ogni Impresa maggior prende il suo moto.

Col suo solo Ingegnoso alto disegno,
Al RE, che tutto à Lui fida se stesso,
Cresce l'Erario, e si dilata il Regno.

Ond' hor ben puote in così oscuro eccesso,
Qual Prometeo impetrar lume al mio ingegno,
S'ei più d'ogn'altro è al nostro SOLE appresso.

Divotiss. ed Obbligatiss. Servitore
Carlo Cesare Malvasia.

LUDOVICUS MAGNUS GALLIARUM REX XIV

cujus Impresia SOL

post primam in itinere ereptam, alteram Sui Ipsius pretiosam Iconem, egregiae Virtutis munus, mittit Co: Carolo Caesari Malvasiae, Mense Maio illam accipienti.

Suppone Solem à Geminis ad Tropicum se attollentem, cum Inscriptione:

Ut clarior emineat.

D. Doctoris, et Abbatis Iosephi Orsoni.

S*I primum REGIS Munus, partumque labore,*
C*AROLE, grande decus sors inimica rapit:*

Primus ab adversis Tibi fit REX ipse secundus,
Lucraque, quae pridem damna fuere, facit;

Nam Munus Geminat, Geminum dum signat in uno
Sole diem Sol, SOL Solis ad instar agens

Scilicet, ut nunquam Sol clarior eminet alto
Caelo, quin Geminos impleat ante dies.

Sic voluit Gemini Tibi SOL LVDOVICVS honoris
Hoc Signum implere, VT CLARIOR EMINEAT.

Ejusdem.

Q*Vi primum REGIS rapuit Tibi,* C*AROLE, Munus,*
Non fur, sed lepidi foenoris Auctor erat:

Misit ad usuras augendi pignus honoris,
Quod citò frustra capis, si benè serò capis.

Cur

Cur velut amissi quereris commercia doni,
Quod ni amisisses, tunc magè perdideras?

Si differtur, non aufertur; distulit id, quod
Abstulit, immo adimens, addidit ipse magis:

Fecit lucrum in iactura, et docuit LVDOVICVM
Plus voluisse dare, et Te haud meruisse minus.

D. Caroli Antonii Busii.

QVae Tibi laetamur LVDOVICI grandia, CAESAR,
Reddita munifica Dona Secunda manu,

Ista docent, Summum Prima se in Imagine REGEM
Nec passum esse rapi, nec potuisse pati.

Et dum rapta DEO-DATVS, haud repetita remittit;
Quae dederat Solers, Bis voluisse dari.

Nobilis haec Vultu, Auro, Adamante, Coloribus Icon;
Maiestate Homines, Numina, Regna capi.

Hinc, Te Autore, sciet PICTRIX quoque FELSINA Regum,
Exemplo, ad vivum pingere sola ANIMOS.

D. Doctoris Francisci Ferrarii.

REgia quae multo Facies adamante refulget,
Restituit lapidi, conduplicatque jubar.

Hoc LVDOVICE Tuum est: Tibi fert qui munera lucis,
Munera cum multo foenore lucis habet.

NEL-

NELLO STESSO SOGGETTO.

Del Sig. Benedetto Giuseppe Balbi.

A un Prometeo gentil, che dar godea
De' FELSINEI Pennelli Alma à l'imprese,
Entro Gemmata Effige in don traea
Vn' illuſtre ſuo raggio il SOL Franceſe.

Quando il Livor, ch' in ciò l' Età vedea
Rieder d' AVGVSTO à la Virtù corteſe,
Gridò ſoccorſo à la più indegna, e rea
Furia d' Abbiſſo, e il nobil Don ſorpreſe.

Mà in van furollo à un generoſo Ecceſſo,
Ch' i Premii à rinovar con braccio aperto,
Le memorie di lor fura à ſe ſteſſo.

T' ingannaſti, ò fellon Ladro ineſperto;
Stolto era il furto, ove reſtava appreſſo
Il gran Core à LVIGI, à Carlo il merto.

Del Sig. Dottor Gio: Antonio Rubini.

DVnque barbara man rapir potea
Il Sembiante d'un RE, ch' à l'alme impera?
Il SOL de Galli, à l'or, che à Voi ſtendea
I ſuoi lucidi giri in aurea sfera?

Nè il folgorar de la Celeſte Idea
Frenò la deſtra impetuoſa, e fera?
Ne accorſe ad emendar l'impreſa rea
Del Prometeo novello Aquila altera?

Nò; che non lo rapiro umani oltraggi:
Mà fur del Sole invidiabil' onte,
Che lo volle compagno à i ſuoi viaggi.

Mà che? ſperollo in van l'alto Orizonte;
S' Ei vi riede frà l'Or de Doppii raggi
Caſtore novo à ſerenar la fronte.

PER IL DETTO RITRATTO MANDATO IN DONO ALL' AVTORE DELLA FELSINA PITTRICE.

Del Sig. Senator Vincenzo Maria Marefcalchi.

DI chi à FELSINA diè Vita immortale
Col lume de Pennelli, e de Colori,
Tù defcrivi, o Signor, le Vite, e l'ale
Con aurea penna à la lor Fama indori.

Quindi à la MAESTA SACRA, e REALE
Di LVIGI confagri i tuoi fudori,
E n'hai l'IMAGO, à cui null'altra eguale
Opra già mai fudar Regii Pittori.

Del GIGLIO d'or quì la Natura e l'Arte
Compon l'Idea, ch'hà d'Adamante i Fregi,
E un Tefor Geminato à te comparte.

Ah' che CESARE al Nome, AVGVSTO à i pregi
Sei tù, s'unito à Coronar tue Carte
Vien col Rè de le Gemme il Fior de Regi.

Del Sig. Canonico Vliffe Gozzadini.

LA tua Figlia erudita ormai trafcura,
Carlo, il Tuo dir, ch'à la Modeftia invita,
Poiche fuggì da le paterne mura,
Và nuovi Amanti à procurarfi ardita.

Ogn'arte di piacer tenta, nè cura
Di quel roffor, che Tua Virtù le addita,
E già di cento Belle i pregi ofcura
Or ch'al GIOVE Francefe, Ella è gradita.

Per fottrarla à gli applaufi, onde fei fchivo,
Tentafti in van lunga ftagion le prove,
Onde Danae racchiufe il Rege Argivo,

Mà qual prò mai, fe con fembianze nuove
Scefo faria, per non reftarne privo,
In tempefta di gemme il fuo Gran GIOVE.

Del Sig. Carlo Antonio Bedori.

TOlto al Cielo de' Gigli il Volto Augusto
A l'Italico Ren le sponde infiora,
E quantunque racchiuso in campo angusto,
Di ben mill'Alme i suoi Trionfi onora.

Reso ogni ciglio di stupori onusto,
Al Simulacro eccelso Archi avvalora,
E i trofei d'ogni secolo vetusto
In un sol Cerchio epilogati adora.

Quì l'Arabica Gemma i rai confonde;
Che Virtute in più nobile riflesso
Dal Sembiante Regal lampi diffonde:

Onde ogni Core al luminoso eccesso,
Se'l Tesoro maggior l'altro nasconde,
Al Tesoro maggior sacra se stesso.

Del Sig. Alessandro Gargieria.

DI Carlo ad ingemmar gli alti sudori,
Con quella Man, che vibra ferro altronde,
Il FRANCO RE sù le Felsinee sponde
Sparge, accolti in Argento, ampi Tesori.

Vn Raggio, un Lampo sol di que'Splendori,
Che il gran Dono Real per vie profonde
Ne petti altrui, più che negl'occhi infonde,
Dell' Vniverso tutto avviva i cori.

Animo non si dà, non v'è pensiero,
Che non sia, senza haverne emola noia,
De la sorte di Carlo, e pago, e altero.

Così mentre l'Invidia avvien, che muoia,
Anima un picciol Mondo un Mondo intero,
E la Gemma d'un solo à tutti è Gioia.

Del Sig. Co: Ercole Agostino Berò :

MEntre cinto di gioie, e d'or brillante
Il tuo Ritratto, o gran Monarca, io miro,
Di veder parmi in quel Gemmato Giro
Splender, qual Nume, il tuo Regal Sembiante.

Parmi veder' espresso in Adamante
L'Ercol, che regna in Orbe di Zaffiro;
E s'à i raggi, che spandi, il guardo io giro,
Sembri Apollo, che indori un Ciel stellante.

S'io scorgessi in tua man l'asta guerriera,
Ti acclamerei per Marte in stil sonoro,
Che trionfa de gli Astri entro la Sfera.

Ma se doni te stesso in un Tesoro,
Ah che Giove sei tu, che in forma vera
Scendi in grembo à Virtute in nembi d'oro.

Del Sig. Co: Angelo Antonio Sacchi.

L'Augusta man, che sourà i Gigli hà Impero,
Premio a'sudori altrui dona il suo Volto.
Di Duro Smalto è quel Sembiante altero,
E l'han fini Adamanti in grembo accolto.

La Costanza à spiegar d'Eroe Guerriero
Quella Forte Materia il fabro hà tolto;
E ad emular la Fè del Cor sincero
De le Fulgide Gemme hà il fior raccolto.

Mà cela i pregi interni invido velo,
Nè puote effigiar l'arte di Apelle
Del Magnanimo RE la Forza, e'l Zelo.

Che se potea suelar Virtù si belle,
Questo Dono Real, l'aurebbe il Cielo
Frà le Imagini sue cinto di Stelle.

AL PITTORE NELL' ATTO DI FARE IL DETTO RITRATTO.

Del Sig. Dott. Giouanni Turchi.

PIttor, che pure hai tanti Eroi dipinti,
E'l gran LVIGI di ritrar disperi,
Che i colori non hai sì vivi, e veri
Per tutti i pregi suoi mostrar distinti:

Siano i Pennelli tuoi nel sangue intinti,
Che per la Fè versaro i suoi Guerrieri;
Prendi poi da la Gloria i lumi fieri,
L'Ombre da l'Ombre de Nemici estinti.

Bigio, e verde color togli al Cordoglio
De l'Eresia, ch'à lui mosse litigi:
Dia forza à l'Opra, sua fortezza io voglio.

Forma il Campo, d'Onor c'habbia i vestigi,
Amore, e Maestà pingi in un Soglio,
Pingi 'l Valore, e pingerai LVIGI.

ALL' AVTOR DELLA SPIEGATIONE DEL PRESENTE ENIMMA.

Del Sig. Canonico Bernardino Tinti.

CEssin di Mensi gli eruditi sassi
L'alto studiò vantar di Zifre ignote,
Poiche à nove figure, e più rimote
La disperata intelligenza hor dassi.

Più del mostro Tebano oltre non passi
L'acuto stil, che i passaggier percote,
Che la superbia di profonde note
Tù, saggio Edipo interpretando abbassi.

Quindi s'avanzan le tue degne lodi,
Che in FELSINA PITTRICE udì la Senna,
Hor, che dai lume à l'ingegnose frodi.

Pari al Magno Pelleo ciascun t'accenna,
Se non maggior, mentre à disciorne i nodi
Egli adoprò la Spada, e Tu la Penna.

Hoc

APPROBATIONES.

Hoc Illustrifs. D. Comitis Caroli Caesaris Malvasiae Bonon: elaboratum Opus, quod AELIA LAELIA CRISPIS, etc. inscribitur, non semel inspexi, suspexique, et tanti acuminis admirans pondus, iterùm atque iterùm omni ex parte perlustratum volui; cumque eruditissimum Authorem (quantum mihi fas erat) viderim non alienum, neque emendicatum, sed expositi sepulchralis Epitaphii germanum prorsùs; ac literae inhaerentem enucleasse sensum, mentemque Inscriptionis, ac ejus supremum, totque eruditionum ponderibus comprobatum apicem attigisse: nihilque ex tot dictis vel fidei Catholicae, vel morum integritati dissonum emerserit ac indecorum; idcircò typis omninò, citiùsque dandum (si, ad quos spectat, ita videbitur) luceque dignissimum existimo.

Ego D. Carolus Gorranus Metrop. Bonon. Poenitentiar. pro Eminentifs. ac Reverendifs. D. D. Cardin. Boncompagno Archiepisc. et Principe, etc.

Gladio ab Astraea mutuato Gordium nodum, quo sepulchrale Epitaphium AELIAE LAELIAE CRISPIDI à LVCIO AGATONE PRISCIO positum vinciebatur, hac legali expositione ab Illustrifs. D. Co: Carolo Caesare Malvasia unico legum praesidio solutum magno animi oblectamento perlegi; et AELIAM LAELIAM CRISPIDEM NON NATAM RESVRGENTEM mirificè suspexi, omnigena eruditione ornatam contemplatus, Pietati, Religioni Christianae, ac bonis moribus in ea nil contrarium deprehendi. Quapropter librum hunc et praelo et Cedro dignum Reverendifs. Paternit. Vestrae testatur

Petrus

Petrus Pompejus Vincentius de Mantachettis I. V. D. et Operis hujus pro Sancto Officio Reuisor Deputatus, etc.

Stante supradicta attestatione

Imprimatur.

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus à Garrexio Inquisitor Bononiae.

AMICE LECTOR

Quum Author, ob annuam à Patria absentiam hyemali tempore, Romae degeret dum praesens Opella Bononiae cudebatur, ut scias optat, ac enixè petit, inter alias Inscriptiones addendas illinc ad Typographum missas, eam, quae ad calcem pag. 164. *sub cap. IX. visitur, capiti X. fuisse inserendam, ad firmandum validiùs, diphthongum Æ, ita conjunctim scriptam, in Antiquis Marmoribus non raro conspici scalptam, quod eo capite probandum sumitur.*

Inconstantiae porro, ac variationis U *vocalis pro* V *consonante, non minùs recenti huic usui apud nos Italos, qui Priscis iisdem Inscriptionibus persanctè hucusque haesimus, quàm plumbeorum id genus characterum inopiae culpam non falsò tribuit Chalcographus.*

Caeterùm alia quaedam, ut plurimùm levia, quae illi quandoque exciderunt, ut pag. 15. immedia pro immediatè. 21. qum pro quum. 27. divisio literis pro divisis literis. 39. necquiquam pro nequicquam. 40. Rethoricae pro Rhetoricae. 61. *mihi* pro *mi.* 62. 1550. pro 1150. LVG-LIA pro TVLLIA. SIGNORIS pro SYNORIS. difficilimorum pro difficillimorum. 66. seu ut adhuc pro seu quum adhuc. 68. sub ascia dedicati pro sub ascia dedicabantur. 81. ex Smetii pro Smetii. 85. ex antiquo pro antiquo. 103. ibid. pro idib. 104. ycones pro icones. 105. Sphingorione pro Sphingo corione. 119. porò pro porrò. 127. *Latus thesauris* pro *Laetum theatris*. 142. Mevius pro Memius. 161. Aringhio pro Aringo. 165. Pauvinus pro Panvinius. 166. CXORINTHO pro CORINTHO. Saepè musaeo pro museo, *nec non similia, et fatetur, et veniam petit ipse; non secus ac idem Author de gravioribus, quibus totum scatet Opus; quum purus putus Legum Interpres,* ἀνίπτοις ποσὶν ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ τέγος, *eleganti huic, atque erudito Inscriptorum Lapidum tyrocinio nunc primùm nomen dederit.*

ANTIQUIS Solemne fuit, Scientias et Artes, quas assiduis lucubrationibus excogitatas, publici juris facere operae pretium duxissent, adeò tenebris involutas tradere, ut nisi multum consumeretur olei, ab addiscentibus nequaquam percipi possent. Sic Trismegistus Hermes, sic Plato, sic Aristoteles, caeterique id genus, qui antiquissimorum Arabum, Aegyptiorum, Hebraeorumque exempla sunt jure sequuti. Etenim hi sacra Sapientiae arcana, non tanquàm distributa militibus congiaria, seu projecta plebi missilia, cunctis prostituenda, sed veluti rariora quaedam, in vulgus non aperienda prophanum, eminentioribus viris, ac sublimioribus ingeniis reservanda fore statuerunt. Hinc penes Ciceronem lib. pr. de Divinit. et lib. 5. de fin. bon. legimus, apud Persas neminem ad Imperium fuisse evectum, qui abstrusis atque occultis Magorum disciplinis imbutus non extitisset; habemusque, eosdem Aegyptios in Regibus eligendis, aut Sacerdotes, arcanorum scilicet cultum affectantes, belligeris praetulisse, aut belligeros ipsos, ad summum illud fastigium promotos, abditis hujusmodi mysteriis erudiendos, iisdem Sacerdotibus associasse; ut fusiùs verbis, mirificè veritatem hanc evincentibus, scriptum reliquit Plutarchus de Isid. et Osirid. Xilandro interprete: *Reges porrò aut è Sacerdotibus, aut è bellicosis legebantur: cum hæc gens ob virtutem, illa ob Sapientiam in honore, et auctoritate esset. Qui autem è bellicosis creabatur Rex, statim se Sacerdotibus dabat, ac philosophiæ fiebat particeps, pleraque fabulis occultantis, ac sermonibus obscura veritatis indicia et argumenta habentibus, quod sanè ipsi declarant, ante templa Sphinges plerunque collocantes, quo innuunt, suam rerum sacrarum doctrinam constare perplexa, et sub involucris latente Sapientia.*

Neque verò exterarum tantùm Gentium peculiaris adeò visus est talis usus, quin eundem publicè professos fuisse Quirites innotescat; praesertim, quum Imperium maximè appetentes, non minùs à SACERDOTVM munere, quàm à PRINCIPVM IVVENTVTIS, ac CAESARVM titulo, ad anxiè concupitum totius Orbis dominatum viam sibi praemuniisse cernimus. Id enim nostris passim subiiciunt oculis antiqua numismata; sive Neronem adhuc puerum, SACERD. COOP. IN.OMN. CONL. SVP. NVM. indicantia; sive eundem, nonnullosque alios ad tantum culmen sublatos, PONTIF. MAX. accessione itidem condecoratos exhibentia; sive eorum quàmplurimos, demissâ ad talos togâ, velatoque capite, ad aram litantes exponentia; praeter tripodem, pateram, simpulum, lituum, aliaque, tum pontificalia, tum auguralia instrumenta, millies in posticâ parte repetita. Sic enim decuit, permixto et Sacerdotii et Imperii commercio, ipsam quoque condecorari et extolli mentis nostrae obumbratam ingeniosè manifestationem, quae augusta verba ab effuso indoctae Plebis sermone sejungit, majorem in omnibus attentionem excitat, mentem altiùs attollit, ingenium acuit; tantamque oblectationem ulteriùs praesefert, ut ad eandem sedulò sectandam tracti fuerint Sapientes ipsi, ipsique Reges, plurimum gratiae atque honoris è gryphorum propositione, nec non dissolutione sibi comparantes, ut notat Plutarchus in Sapient. conviv. et Lycophron apud Illustr.

Ad hoc ideò ritè spectant ea et omnia, quae nullo prorsus vocis organo, seu verborum sonitu, sed solo ac simplici, quà nutuum, quà figurarum, quà notarum vestigio quid contectum retinent, sapientibus tantùm revelandum. De innumeris haec solùm sufficiant: manuum scilicet motiones seu gestus, de quibus Accursius noster in l. 2. §. exactis de V. O. quibusque in 12. Tabularum Lege à Graecis tradendâ, Romanam solertiam verè tentatam fuisse, non dubitat Forcatulus in Pen. Iur. quicquid in hâc Glossatoris historiolâ irrideant Zasius et Budaeus,

can-

eandem, tanquam anile commentum reiicientes: Tauroſthenis columba, quam victrice purpurâ ornatam, ad relictum foetum reducem, è Pisâ Aeginam uſque advolantem, commemorat Aelianus lib. *9:* Rana, mus, avis, et quinque ſagittae, quas dono miſſas Dario, elatae mentis faſtu ſuperbienti, Gobrias interpretatur*:* Notiſſima tandem papavera eminentiora, à Tarquinio Rege oblongo vimine demeſſa; ut tanquam protrita nimis, quotidieque obvia, Chymicorum nomina, Philoſophorum terminos, noſtrorum Iuriſperitorum notas, Medicorum compendia, Aſtronomorum characteres, aliaque id genus ſexcenta dimittamus.

Luculentam fidem dictis aſtruunt Maximus Planudes in Aeſopi moribus, ni mavis Aeſopus in ipſo Planude: Plutarchus in Alexandri vitâ*:* Hermippus apud Athaeneum*:* Aulusque Gellius in Noctibus Atticis. Horum ſiquidem teſtimonio, Veteres inter ſeſe circa gryphos ac problemata decertaſſe percipimus, genialibus potiſſimùm in conviviis, à quibus propterea ſympoſiacorum, ſeu convivalium Aenigmatum nomen (*ζητήματα κυλίκεια* Graeci vocant) mutuata ſunt. Quamobrem altercatum fuiſſe quondam agnovimus Amaſim Aegyptiorum Regem cum Rege Aethiopum: Licerum, ſeu Labynetum cum Nectanebo pariter Aegyptio: Aeſopum jam memoratum cum ſeptem Graeciae Sapientibus*:* Magnum Macedonem cum decem Gymnoſophiſtis, morte damnatis, ni ſolverent. Conſentiunt denique, idque proprio obſignant exemplo Antiqui Sapientes, veluti, inter ſophiſtas, Pythagoras in Symbolis, quae fuiſſe aenigmata, teſtatus eſt Athaeneus Diproſoph. lib. 10. cap. poſtr. Hippocrates in opere de Aliment. aenigmaticè conſcripto: Heraclitus, ob hoc ab Ariſtotele lib. de Mund. cap. *6*. et 8. Ethic. laudatus: Plato in iis, quae Dionyſio ſcripſit epiſt. 2. ac tandem Varro, P. Nigidius, necnon Romani Proceres, cum iiſdem vel Sophiſtis pugnare quandòque non ambigentes, eandemque palmam in pace appetentes, quam toties in bello, ar-

mis ſtrenuè ac feliciter conſertis, obtinuiſſe gloriabantur. Quae profectò conſuetudo eò uſque invaluit, ut quidam, neque ſanè è vulgo, mox aſſiduis vigiliis ac ſtudio tabeſcentes, mortem tandem, à quâ ipſi ſolverentur, oppeterent; ut de Philetâ Coo ſcribit Gyraldus Hiſt. Poet. tom. prim. de Calchante Theſtoris filio Lycophron in Alex. et Euſtathius in Illiad. de Diodoro Chrono Plinius lib. 7. cap. 53. Laërtius et Fulgoſius lib. 9. c. 12. immo de Homero ipſo teſtatum reliquit Plutarchus, deque ipſo Ariſtotele Iuſtinus Martyr in admonit. ad Gent.

At quid prophanis inſiſtimus, execrandoſque Gentilitatis ritus, et argumenta inania exquirimus, qui digna, juſta, ac verè ſacra proferre poſſumus? Equidem rectum ſemper ac decens viſum nobis eſt, ad ſacras res omnes ſeu divinas, itidemque ſcientias (quas à Deo eſſe quum nobis innuat Eccleſiaſt. cap. pr. cui conſentit D. Iacobus Epiſt. cap. pr. divinitatem quandam redolere decet) non eâ rudi manu accedere, quâ domeſtica quaeque peraguntur; quum nimiùm repugnare videatur Naturae, immo Deo, facilis rerum harum participatio, quae contemptum potiùs ac odium, quàm debitam venerationem exiſtimationemque parit; quapropter non ſine quâdam caligine ſenſus ſuos ut plurimùm protulit vel ipſa Divinitas, quae veritatem, quamvis myſteriis obumbratam, craſſiſſimis tenebris oppoſuit, quibus olim eluſos Populos Doemones detinebant per Oracula Delphica, Dodonaea, Hammonia, quae poſt Domini tamen Servatoris noſtri Nativitatem perpetuò obtumeſcere coacta ſunt; ut poſt Nicephorum lib. pr. cap. 17. obſervat Occo Imper. Numiſm. in Auguſto. Illas igitur verè myſticas praedictiones nunc reputo, quibus verax Deus noſter *obſcurè olim* (ut ait D. Paul. ad Hebr.) *loquens Patribus in Prophetis*, noviſſimè diebus Redemptionis noſtrae, *locutus eſt nobis in Filio*; clarè quamvis et explicitè, ut egregiè D. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 1. cap. 18. non ſine figurarum tamen, ſeu parabolarum indumento, quum inter mortales commorari non dedignatus, Evange-

lica

licâ praedicatione nobis iter ad salutem demonstraret. Sic ipso praeeunte, in quolibet postmodum Sacrarum Literarum expositore illud Proverb. cap. pr. innotuit ac invaluit: quòd *prudens animadvertat parabolam et interpretationem, verba Sapientum, et aenigmata eorum*: et idem est, quod praecipit Ecclesiast. cap. 39. quòd nimirum *in versutias parabolarum simul introibit, occulta proverbiorum exquiret, et in occultis parabolarum conversabitur*. Hunc morem plenissimè Sacra testatur Historia, si vel Fortitudinis, vel Sapientiae archetypum in Sacris Paginis proponamus; Sampsonem videlicet ex unâ, Salomonem ex alterâ. Et illius quidem notissimum extat Aenigma illud, de quo Iudic. cap. 14. triginta Thamnathensibus propositum: *cibi* nempe *ex edaci, dulcedinis ex forti*: Alterius verò ea, nunc nobis ignota, quae doctissimè Hiramo Regi proposuisse, ac Reginae Sabae dissolvisse, innuit lib. 3. Reg. cap. 10. refertque Ioseph lib. 8. Antiquit. et lib. prim. cont. Appion. Eruditissimum hic mitto certamen, à tribus apud Darium Regii corporis custodibus in convivio excitatum: quaenam res omnium esset fortissima, cujusque victoriam post omnes Zorobabel fuit adeptus. Hic enim, dum asseruit, Veritatem Vino, Regi, Mulieri praestare, ideòque omnium fortissimam adjudicandam, coronâ, triumpho, ac parte Regni decoratus incessisset, nisi pro Aede Sacrâ perficiendâ, urbeque Solymorum instaurandâ, à tot tantisque muneribus ac honoribus temperasset. Missa facio, quae à Ptolomaeo Philadelpho Aegyptiorum Rege Septuaginta Sacrae Literae Interpretibus, ab Hierosolymâ accersitis, ad ipsorum in re tantâ captum explorandum, fuisse olim iisdem proposita, Aristeas et Ioseph Historicus literis commendarunt; nec vulgata tria recenseo verba, quae nocturnas inter epulas, laetaque nimis convivia, ab ignotâ manu conscripta, Daniele interprete, Balthassari Assiriorum Regi imminens eâdem nocte exitium ac pestem denunciarunt.

Quae quum ita sint, Aenigmatumque dignitatem adeò succrevisse

crevisse constet, ut praestantissima ingenia tantae Arti mancipata recenseantur, mihi porrò succensendum non est, quod in leviori, quàm par esset, argumento diutiùs immorer, dum Patrii, ejusdemque celeberrimi Aenigmatis novam pro viribus expositionem aggredior; quin immo hunc qualemcumque conatum haec ipsa ratio commendet, quòd scilicet in hunc unum Lapidem, et nostri, et anteacti saeculi praestantiora Ingenia tam feliciter impegerunt, ut pro cote potiùs, quàm pro eruditionis offendiculo jure merito possit haberi. Et licèt nullus adhuc extiterit, ut dicitur, verus nostrae Sphingis Oedipus; cur porrò desperanda est, quae nemini adhuc concessa gloria? Quare mihi denegandum erit caeteris hucusque permissum periculum?

——————— *ego, cur acquirere pauca*
Si possum, invideor?
Nonne
——— *medio posuit Deus omnia campo?*

Quòd si incassum, quòd si impari tantorum aliorum laude id egero, iisdem saltem me tuebor verbis, quibus egregius ille Romanae Historiae Scriptor se confirmabat: *Et si in tanta Scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, qui nomini officient meo, me consolabor.*

Verùm, vel me suscepti muneris amor fallit, vel hujusce oraculi obvia mihi statim veritas enituit ab eo die, quo primùm Haec Inscriptio, capitalibus literis affabrè exsculpta, sese mihi obtulit. Illicò enim menti meae ita candidè effulgere visa est, ut magis ac magis in dies mirari non destiterim, rem tam apertam, tricis ac maeandris adeò obvolvi, ut quod meridianâ luce splendidius apparet, numeris Platonicis obscurius existimetur. Miratus sum, inquam, quòd Epitaphium istud, nil aliud innuens, quàm defuncti alicujus memoriam, quàm veram Inscriptionem Sepulchralem, supernaturalium nota effectuum credatur, abstrusarum compendium facultatum judicetur, ejusque

que obvia atque sincera significatio, à Porticu, ab Academiâ, à Lyceo; immo ab Aere, à Meteorologicis, à Coeli vsque sedibus, remotâ nimis indagine desumatur; dum à triviis, à domesticis, à communiter accidentibus eam statim me deducere posse profiteor; quod dumtaxat in causâ fuit, ut hanc provinciam, etsi ab instituto meo primâ facie tam longè alienam, suscipere non timuerim.

Illud, quod in hoc pulvere, quem proindè tam animosè ingredior, aliquo me timore afficit, gradumque ferè suspendit, hoc unum est, quod illico agnovi, ac ingenuè fateor; me nimirùm non eâ puritate seu elegantiâ sermonis, quae seriam simul et jucundam hanc disquisitionem deceret, esse praeditum; quippe Lector publicus effectus, per integrum aetatis meae curriculum discendis atque docendis Legibus, omnem loquendi candorem ac venustatem (si quam unquam adeptus sum) prorsus dimiserim. Nimis enim à prisco Latii nitore atque nobilitate nos revocavit semper ac revocat universa, quos vocant, Repetentium nostrorum natio, quos in expendendo exponendove Iure, toto, quod ajunt, pectore non haurire, penitusque non imitari haud possumus, quoties in Scholis docemus, in Circulis disputamus, in Foro contendimus. Quum igitur Primi Glossatoris Accursii, Bartoli Lucernae iuris, Castrensis, Saliceti, Alexandri, Socini, totque aliorum insitam penè, ac ossibus jam haerentem dicendi barbariem exuere non possimus; neque eruditissimorum Alciati, Duareni, Cuiacii, aliorumque hujus notae paucorum nitidam elocutionem induere valeamus, parcendum erit (ut enixè precor) si in Legali hâc Aenigmatis expositione *exotici*, cum Apuleio, *ac forensis sermonis non pauca rudis locutor effudero*. Haec fuit ut plurimùm effraenata Iurisperitorum licentia, quae, seu interpretentur, seu consulant, seu disputent, seu decidant, ubique perpetuò debacchatur ac furit, elegantibus nitidisque vel Antiquorum Iurisconditorum responsis posthabitis, à quibus, quum quicquid eorum doctrina

cona-

conatur, desumpserint, ab iisdem se penitus in locutione abalienare non desinunt. Ex quo enim quotidie auribus eorum insonat, quod clamat Ulpianus in l. si quid ff. de adim. legat. *melius esse sensum, quàm verba complecti*; quodque admonet idem in l. Natura ff. de praescript. verb. *Plura esse negotia, quàm vocabula*, propterea in commune axioma constantissimè jurant atque persistunt: *Legem rebus, non verbis traditam esse*.

Caeterum, ut suis non carent Aenigmatibus Iura, quò respexit Iuvenalis ibi:

Qui Iuris nodos, et Legum Aenigmata solvat;

sic me Iuris expositorem minimè dedecet, Gordianum Epitaphii nostri nodum, nudo potiùs Legum praesidio, quàm ullo sophismatum artificio, immo eruditionum ornatu (prout fortè haec exposceret materia) quoquo modo solvere; sive trutinam, quâ illum expendam, sive gladium, quo obtruncem, ab Astreâ reportare contingat. Sanè mihi, post completum tandem Legali hoc in stadio quadraginta ferè annorum cursum (per honestam veluti missionem miles exemptus) sic laudabiliter otiari, seu non inutiliter jocari lubet: Ludere, inquam, Inscriptis Lapidibus, qui nostro affines et contermini, varios necnon mirabiles mortuorum casus referentes, ad ultimam vicissim dierum lineam aptè in fine ducendam, ritèque concludendam, me moveant magìs, blandiùsque excitent ac evehant. Ita faxit Deus, pro voto eveniat; proficiatque potiùs hoc recens exercitationis insuetae argumentum ad promissam et speratam Immortalitatem animae contemplandam, quàm ad ullam immortalis nominis famam comparandam; fiatque mihi Monumentum istud damnatae Gentilitatis, gradus ad portum expetitae Beatitudinis; ubi tot Ternis istius Maeandri tricis irrisis, *facie ad faciem* introspicere tandem detur Unum illud Verum ac Trinum, ad quod, *tanquam* ad *speculum in aenigmate* nunc caecutimus.

Quot

Quot, qualesque Authores de hac Aenigmatica Inscriptione egerint; unde ex nota eorum excellentia eidem major fama ac nomen.

Caput I.

Quandoquidem momentum ac dignitas Quaestionibus plerumque comparatur à numero atque praestantiâ Authorum, qui vel in ipsas se conjecerunt, vel easdem pertractandas susceperunt, nullam idcircò praeferendam censeo huic Aelianae Inscriptioni nostrae; quam tot tantaque tum praesentis, tùm anteacti seculi Ingenia, si non speciatim exposuisse, incidenter saltem attigisse intelligimus. En ergò quot numero, qualesque doctrinâ, qui eandem, quà memorandam, quà declarandam suscipientes, tantum existimationis eidem adscripserunt. Et primò, primus omnium quoscumque alios antecessisse videtur

MARIVS MICHAEL ANGELVS Italus, *vir ad omnes elocutionis flores natus*, prout de illo Verani in Panth. argut. elocut. pag. 553. qui tunc solus è celeberrimâ Universitate Patavin. (cui à doctissimis Academicis Mediolanensibus pro explicatione missa fuerat) ipsam declarare ausus, amplam laudem fuit assecutus à collegâ suo Antonio Catharo, istiusque ope, ab Eminent. Cardinali Madrutio, cui elegans illud commentariolum fuit inscriptum. Secundo prodiit eruditus, atque inclitus

RICARDVS VITVS BASINSTOCCHIVS Anglus, qui triplicem scrupi attulit solutionem: Primam acutissimo Philo-

ſopho Chriſtophoro Ianſoni, Vicamenſis Scholae apud Vintoniam ſummo moderatori dicatam: Alteram egregio ter Comiti, ter Equiti Marco Mantuae Benavidio I. C. Patauino, in celebri illâ Academiâ per duos ſupra ſexaginta annos Lectori publico, atque viginti & octo voluminum commentori foecundiſſimo: Tertiam denique doctiſſimo Ioanni Turrio, ſui in eodem ſcirpo enodando acerrimo aemulatori. Idem ergo

IOANNES TVRRIVS Brugenſis, *acuto vir ingenio*, nec non *excell. LL. Doctor* (ait Licetus) qui eo pacto, quo enodationem ſuam Vito miſerat, eodem à Vito parem, licèt ſententiâ diſſimilem, mûtuâ humanitate recepit. Non obſcuri nominis

REMIGIVS FLORENTINVS, nelle ſue Lettere familiari. Clariſſimus atque ingenioſiſſimus

NICOLAVS REVSNERIVS, Leorinus, I. C. Comes Palatinus Caeſareus, Conſiliarius Saxonicus, in Aenigmatographiâ, ſive Sylloge Aenigmatum, & griphorum convivalium. Solèrtiſſimus

MARCVS GEORGIVS DRAVDIVS Francoſurten. in ſuis ad memorabilia Mundi C. Iulii Solini adnotationibus, ubi de urbe Bononiâ loquitur.

FRANCISCVS SCOTTVS, Antverpienſis, diligentiſſimus Aenigmatum compilator. Argutiſſimus

NICOLAVS BARNAVDIVS à CRISTA, Gallus Delphinas, Philoſophus, Medicus, Chemicuſque praeſtantiſſimus, in Commentariolo, Mauritio Principi Auraico nuncupato, in Theatro Chemico. Praeclarus Iur. Pontif. & Caeſar. Lector

ZACCHARIAS PONTINVS, in expoſitione hujus Inſcriptionis, à Ioanne Thuilio, humaniorum Literarum in celebri Academiâ Patavinâ clariſſimo Profeſſore, miſſâ eruditiſſimo Liceto. Ac tandem *omnium poſtremo loco, ſed omnium conditione ſupremus*

IOAN-

IOANNES GASPERIVS GEVARTIVS, *in suis Electorum libris*, praecipuis asserit verbis, Omni praestantissimarum artium genere excultus.

FORTVNIVS LICETVS, in eodem Patavino Lyceo Philosophus Ordinarius, qui supradictos omnes, (si Remigium & Reusnerium demas) immò praedictorum omnium, hac de re scribentium, opiniones in unum congessit, easdem ordinatim post Festa Paschalia publicis in scholis diligentissimè referendo, ubertim examinando, acerrimè refellendo, ac in suo primo Allegoriae Peripateticae de Generatione, Amicitia, & Priuatione Libro, publicae luci concedendo; vt magis ac melius contra hos omnes ab ipso sic rejectos, propriam in secundo libro firmare posset sententiam. Hos postmodum sequuti sunt

GEORGIVS REMVS. I.C. Clarissimus, qui eam sic carminibus vertit:

Nec vir, nec mulier fuit Ælia Lelia Crispis,
Non Hermæ & Veneris proles, verùm Omnia; porò
Non Anus aut Vxor, Iuuenisue, incastaue (mirum)
Omnia enim fuerat simul, & semel: Hæc neque ferro
Est sublata, fameue, veneneue: Omnibus illis
Heu, perijt, nec aquis, neque terris, nec iacet Astris
Condita, sed quacumque locis nempe omnibus illa est;
Non molem, non pyramidem, non putre sepulchrum,
(Narro uera, odi mendacia) at omnia, eique
Nescio quis struxit, non mærens, sed neque gaudens,
Omnia quippe simul. Nodus num Gordius hic est?

cui ego sic vernaculâ linguâ accinerem:

Elia Lelia Crispa io mi chiamai;
Non fui mai Vomo, Donna, ò Ermafrodito,
Putta, Giouane, ò Vecchia, e non fui mai
Casta, Pudica, ò Donna da partito,

Pur tutte io fui. Non fù à toccarmi ardito
Ferro, Fame, ò Velen, che pur provai.
Nel Ciel, ne l'Acque, e non è in Terra il sito
Del mio riposo; e in tutti io pur posai.

Lucio Agatone Priscio, non Consorte,
Non Amante, nè Erede, e che non poi
Godè, si Dolse, ò lagrimò sua sorte;

Questa ò Mole, ò Piramide, ò qual vuoi,
Sepolcro eretto, e non eretto in morte
Sà, e non sà à chi pose: e'l saprem noi?

MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS Bergolzomanus, memoriarum veterum exequentissimus, in monumentis Illustrium Virorum, & Elogiis. Eruditus, ac ingeniosè pius

ANDREAS NESMONDIVS, in Burdigalensi Senatu primarius Praeses. Locupletè amoenoque ingenio praeditus,

FRANCISCVS SVERTIVS Antverpiensis, in Epitaphiis Ioco-seriis. Doctissimus ac religiosissimus.

HIEREMIAS DREXELLIVS, e RR. PP. Societatis Iesu, ob tot tamque praeclara, aeterno nomine digna, Opuscula Spiritualia celebris. Vir ampli nominis

VVILIELMVS BAROLDONVS Anglus, in libro De verâ & genuinâ interpretatione Sacrae Scripturae per Artem Cabalisticam, cuius quidem operis ad me hucusque fama, nondum verò exemplar pervenit. De Literariâ Republicâ optimè meritus,

LAVRENTIVS BEYERLINCK, in elaboratissimo Theatro Vitae humanae. Quem *Veterum Inscriptionum adeò studiosum, ut in eis perquirendis interpretandisque pene mori videretur*, nominat, Tulliani eloquii instaurator, Ianus Nicius Erythraeus, in Pinacotheca. part. pr.

IOANNES ZARATINVS CASTELLINIVS, in Inscriptionibus à se noviter collectis, suoque Smetio propriâ manu additis. Doctrinae elegantiâ celebris

PHILIPPVS LABBE, Bit. e RR. PP. Societ. Ies. in Epitaphiorum Thesauro. Quidam

GRVNDERVS, hòc solùm mihi agnitus, quòd nimirùm de eo in hac epigraphe nostrâ mentionem habet Kircherus, in Oedipo Aegyptiaco. Idem ergo (in abstrusioribus disciplinis novum sydus, à nullo Literatorum Virorum non salutatum, maximèque obseruatum)

ATHANASIVS KIRCHERVS, e RR. PP. Societ. Ies. in dicto Oedipo. Perspicua fori norma R. P.

HIERONYMVS NICOLIVS Romanus, Ordinis S. Augustini, in suis doctrinâ vernantibus nuper editis Flosculis, siue Notabilibus Practicis. Dignus quovis illustri lectore Author, Abbas

IOANNES BAPTISTA FERRETIVS, ex Divi Benedicti nobili ac amplâ Montis Cassini familiâ, cujus Musae, & si Lapidariae, tam armonicè concinunt, ut huic verè dici possint Apertae Musarum Fores. Ingenii acumine nulli secundus,

POMPEVS SARNELLVS Neapol. Libro Italicè conscripto: Il Filo d' Arianna &c. Summus omnium consensu, in tradendis bonarum Artium praeceptis, ac egregius magister

EMANVEL THESAVRVS, nel Canocchiale Aristotelico. Elegantissimus elegantiae Assertor P.

GAETANVS FELIX VERANI Niciensis, in Pantheo Argutae Elocutionis. Strenuus monumentorum nationalium Legulus,

IOANNES TONIOLA, in Basilicâ Sepultâ Detectâ, in Appendice. Ob Politioris Literaturae delectum & usum celeberrimus, Praesul Theanensis

OCTAVIVS BOLDONIVS Mediolanensis, in Epigraphica, sive Elogia, Inscriptionesque quodvis genus pangendi Ratione.

tione. Qui felicibus ac praepetibus tot ingeniorum pennis in sublime se extollentes, latiore per Gloriae campum gyro alas efferunt RR.

PP. SOCIETATIS IESV, in Reginae Palatio Eloquentiae. Ex istis porrò selectissimae elocutionis, & amoenioris doctrinae Magister P.

FRANCISCVS POMEY Gallus, in Appendice Epitaphiorum ad suam Libitinam, seu de Funeribus. Exquisitissimus Inscriptionum Collector R. P. D.

RICHEA, seu OTTO AICHER, è nob. Benedictorum Familiâ, in Theatro Funebri. Genio eruditissimus & ingenio, ut ex editis tot operibus colligere est,

IACOBVS SPON, Doctor Medicus Lugdun. aggregat. in Voyage d'Italie, de Dalmatie, de Grece, & du Levant, &c. Peritissimus, nec non diligentissimus vel in hac opellâ meâ, longè ante editionem honorificè ab eo regestâ, cuique propterea non parum debeo,

GEORGIVS MATTHIAS KONIGIVS Altford. in Bibliothecâ veteri & nouâ. Ac tandem Mathematices Professor consultissimus,

IOSEPH FERRONIVS, e RR. PP. S. I. in nuperâ Inscriptionis hujus expositione nondum editâ, quam ab illo indeficienti rarioris eruditionis fonte Antonio Magliabecco, Serenissimi Aetruriae Magni Ducis Bibliothecario, accepimus.

His omnibus addendi veniunt Bononienses nostri. Et primò non ignobile probitatis, atque virtutis germen ex D. Augustini Religioso Ordine P.

CHERVBINVS GHERARDACCIVS, in Historiis Bononiae. Non impiger

IOANNES PASQVALIS ALIDOSIVS, in quodam è tot liberculis typis editis, cui titulus: Instruttione delle cose notabili di Bologna. Ter sedulus

ANTONIVS PAVLI de MASINIS, nella Bologna

Perlu-

Perlustrata. Perinsignis Collegiatae Petronianae olim Canonicus & Doctor

ALEXANDER de NIGRIS, explicator industrius Maniliani Bononiensis Monumenti, in eiusdem historico-mystica Lectione; nec non in huius Aenigmatis nostri enodatione M. S. Clarissimus LL. Doctor & Advocatus,

FRANCISCVS MARIA BORDOCCHIVS, in publicis Archigymnasii nostri Enceniis. Artium & Legum Collegiatus, Aldrovandi Musei Custos Bibliothecarius,

OVIDIVS MONTALBANVS, nella Helioscopia, overo il Colosso di Felsina Antica. In Andrologiâ &c. Eximii, nec apud Exteros ignoti nominis, Excellentissimus Prior

PETRVS MENGOLVS, in acutissimâ, tantoque ingenio dignâ Aenigmatis hujus compendiosâ expositione nondum editâ, mihiquè perhumaniter inscriptâ, quam mirari satis nequeo ac celebrare. Cui tandem amico humanissimo adiicere liceat nostrum olim perspicacissimum discipulum, nunc verè supra magistrum Doctorem eximium

PETRVM HERCVLEM BELLOIVM, in Bononiâ exteris indicatâ, elegantissimo carmine de more exaratâ, ubi:

Voltarum in Turri Sphinx Ælia Lelia Crispis:
Ad peregrina peregrinè peregrina peragrant
Ingenia, huc acuenda, nec hactenus Oedipus extat.
Malvasia meam docuit qui Iura Iuuentam, &c.

Verùm quia è tot Authoribus, eorum qui ipsam interpretati sunt, singulæ opiniones tali scatent sapientiâ, tantâ exuberant argutiâ, ut ipsis injuria, nobis facilè succenseretur invidia, quoties obruerentur silentio, ideò hic quaslibet immediatè subiicere operae pretium fore existimo: non ita tamen ut ego ex Legum-doctore, repentè Philosophum agere velim in iis refellendis; sed eas obiter potiùs, ac veluti per transennam attingam, ne de earum invicem praestantiâ arduo sanè judicio decernam. Vnum interim obseruandum hic praemitto, expe-

rientiâ alibi etiam firmatum. Ut enim abundare quisque solet in sensu suo, ut adagio vulgatum est; & omne simile sibi simile generare consuevit, nec ab se alienum causa producit effectum, sic nunc videre est, quod penè quilibet Authorum ab eâ facultate, quam profitetur, declarationem trahit Aenigmatis; immo nil aliud aliquando esse, quam ipsissimam artem, in quâ eminet, demonstrare contendit. Sic Philosophus Philosophiam, sic Legumperitus Legem, sic Mathematicus Mathesim, sic Chemicus Chemicam, sic Musicus Musicam sub illâ obscuritate verborum latitare demonstrat.

Marius Michaelangelus, Aquam Maris *tenebrosam è nubibus Aeris* hanc esse autumans, è profundo Sepulchri Democritei Puteo Philosophicam Veritatem expiscari atque extrahere se posse credidit, quum hamum ex illis primis quinque literis A. M. P. P. D. ita efformaret: A quam M aris P luviam P luit D eus.

Riccardus Vitus, triplicem attulit scrupi solutionem (vt olim solertissimum Aesopum fecisse legimus, quum ejdem à Domino pactum revelati thesauri dimidium, & potior auro libertas, fuisset contra fidem denegata) Vitus inquam, quum deceptus à tribus ultimis Agathiae Scholastici versibus, Niobem in saxum versam in primâ explicatione intellexisset, certior factus, hos versus fuisse à Mediolanensibus appositos, duas nobiliores subtexuit: alteram Animam Rationalem, alteram Ideam Platonis respicientes.

Ioannes Turrius, turrium fastigia aemulatus, ut altiori indagine sese extolleret, esse Materiam Primam est meditatus.

Eunuchum, sub hoc verborum velamine effingi retulit subtilis alter Schottus, Franciscus nomine; cui quum à principio adhaesisset Nicolaus Barnaudus, se ab ipso statim sejungens, si non materiam primam, ut Turrius, materiam primâ (fas sit dicere) priorem ac praestantiorem, aurum inquam, ibi recondi est suspicatus; licèt non impari sorte Chemicorum, quos

solùm

solùm obscurum hunc Lapidem alloqui credidit mutis nominibus, atque adeò per hunc significari Lapidem Philosophorum.

Zachariæ Pontino visum fuit, tria humana corpora in eodem situ, simulque à tribus pariter viris condita indicari, illorum instar, de quibus Swertius in Epitaph. iocos. pag. 124.

Et GHENUS, & TRILIUS, NINUSque hac conditur urna;
Hic fune, hic gladio, fluctibus hic perijt;

praesertim quum apud Romanos antiquitùs plures simul ita conderentur, vt ex Appiano pag. 273. 1. ac alibi, & è Gruter. in unicâ trium Imperatorum, Vespas. Tit. & Domit. pag. 244. 2. Sic voluit Pontinus: Primum esse Aeliae, mulieris, vetulae, meretricis, ferro transverberatae, à Lucio gaudente (quia ei necessarius haeres) sepultae: Alterum Laeliae, androgynae, puellae, castae, veneno sublatae, in aquis ab Agathone marito flente iniectæ: Tertium viri, iuvenis, impudici, fame necati, à Priscio amatore, moerente, eodem loco tumulati, &c.

Litem esse, ideft litigandi studium turpe, sive τὸ κακοήθες, quod non vitium, sed multis vitiis conflatum portentum esse, suasit Andreae Nesmondio illa antithetorum repetita congeries, quâ implacabili discordiâ in negando quod affirmat, in affirmando quod negat, pervicaciter utitur, seu abutitur Elogium nostrum.

At è contrà non discordiam hic, odiumve, sed Amorem potiùs, ejusque naturam, tot contrarios effectus producere valentem, aenigmaticè describi, validissimis ostendit rationibus Ioannes Gasperius Gevartius, qui, non secus atque omnia vincit Amor, cunctos vel ipse solus superasse, qui hac de re scripserunt, videtur. Is enim ille est, quem nunc alii sequuntur, cujus inquam opinioni hac tempestate adhaerere non dedignantur politioris etiam literaturae Clariora Lumina, praeter inquam

Boldonium, ac PP. Societ. Ies. P. Gaetanus Felix Verani: illi in laudato Reginae Palatio Eloquentiae, hic in Argutae Elocutionis Pantheo; quae utique sunt aedificia sublimia, illis spoliis meritò decoranda, quae de tot Phisiologis Interpretibus, deque Patavinis Collegis, primo libro supplantatis, secundo triumphatis, in trophaeum sibi excitare contendit Patavini gloria Lycei Fortunius *Licetus*, cui fortasse per fortunam haud licuit suum apprehendere FVGITIVUM SATYRVM, ab Amore potiùs Verani hic quoque prostratum, pedibusque contusum, quàm INSEQVENTIS MERCURII manu (ut sibi effinxit) detentum.

Umbram adumbrari voluit, per haec tam obscura & perplexa verba, Zverius Boxhornius; dum nil esse notat, quod umbram vocamus; omnia verò sit, quum omnia referat, & omnia in se contortae. Tempus itidem, quod quum nihil sit, in ipso sunt omnia, quodque rerum quarumcumque pater, eas tandem vorat ac destruit.

Musicam denique hic repraesentari ostendit ac probat sapiens P. Ferronius; quae tribus generibus, Cromatico nimirum, Diatonico, Enharmonico, hos contrarios sibi invicem effectus movet ac assequitur: Omnes sexus, quascunque aetates, quaslibet conditiones, ibi expressas, tangit & complectitur: Ubique se insinuat, sed nullibi remanet; dumque varios hos euentus promovet, eosdem profligat atque evertit.

Atque hìc ego, vt antea monebam, dissidium sententiarum omninò declino, nec Partium harum studio ullatenus moveor, ut victoriam, quam certatim expetunt, uni vel alteri pro arbitrio deferam. Seu Trans-alpinis, seu Italis, seu, inter dictos, Concivibus nostris haec gloria statuenda sit,

Tros, Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo.

Quòd si officiosè aliquid pro Nostratibus, ut decet, addendum esset, ille primò memorandus occurreret, qui, ut à labyrintheis hisce ambagibus sese explicaret, Ariadnaeum sibi filum ex ca-

ex canabe non ineruditè contexuit. Hinc celebrarem suis usque ad sydera elatum MONSTRIS, errantem nunquam Aldovrandeum Ulissem Felsineum; commilitonemque ejus Achillem nostrum, inter privatos quidem, sed regios domesticae Hermathenae Bocchianae Lares non adeò delitescentem, quin pariter in edomandis *symbolicè* vitiis, suarum virtute Quaestionum, strenuus aequè dignoscatur ac prudens: Quum scilicet sint, qui referant, ambos, utì unanimes in Lucio Agathone verum agnouerunt hominem, sic in Aelia Laelia fictam detexisse foeminam; Immò sub foeminae specie Malum Genium, Improbum Spiritum, per regionem Aeris divagantem, ut ille scripsit; in Terra verò persistentem, Quercuique Iunoniae infixum & adherentem, ut iste. Syluanam igitur, Modernus adjecit seu exposuit, Nympham, Hamadryademque Casaraltulanam, quae caesione tandem ac ustione Quercus, cui insidebat, alibi vivere coacta, veluti mortua, hoc in Sarcophago, à dilecto diligenteque Agathone sic celebrata, descriptaque designatur. Venerarer tandem, tum admirabile illud Iurisprudentiae Simulacrum, quod de hoc Aeliano marmore mirificè extruxit collega noster Bordocchius, dum Studiorum initio nobis omnibus primâ lectione praeiret; tum Castitatis Normam, quam à Fratre Equite Lodoringo Andalao aliis mysticè hìc propositam, me docuit supra memorata insignis nostri Mengoli Interpretatio.

Hos sanè omnes, ac caeteros debitis nequaquam fraudarem honoribus, neque timerem eos, summis vel laudibus exornatos, quicquam gloriolae meae (si quâ me dignum hâc expositione praestitero) officere; quam non à doctrinae, eruditionis, ac elegantiae aemulatione, ut aliàs innui, exposco; sed à nudâ quadam, fortuitâ, ac simplici divinatione, rudi prorsus stylo aperiendâ; postquam eam (idquè sequenti capite praestabitur) à mendis, quibus scatet apud omnes, repurgauero; nam undique:

Infelix lolium, ac steriles dominantur avenae,

sicque in pristinum statum restituero, iuxta illud Boetii:

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arva prius fruticibus;
Falce rubos, filicemque resecat,
Vt nova fruge gravis Ceres eat:

Quot, & quàm varia
Aenigmaticae Inscriptionis nostrae
circumferantur exemplaria:
Quod nam ex ipsis antiquum atque
legitimum;
Quomodoque in priscum candorem suum
restituendum.

Caput II.

QVemadmodum flumina, quò magis cursu protrahuntur, eò magis (rivulis undique in alveum confluentibus) aquis redundant, magisque turbantur, ita res famâ, quae *mobilitate viget, viresque aquirit eundo*, hinc inde elatae, quò plus per hominum ora vulgantur, eò plus auctae, nec non variatae circumferuntur. Suam quisque audet promere sententiam, expositique per se facinoris sibi videtur fieri particeps, quum de suo vel quid addat, vel enarrationem propriâ saltem magniloquentiâ exornet. Hoc autem, quod in rumoribus, apud mobile vulgus publicâ voce jactatis, usu venire quotidie intelligimus, in dignioribus quoque characteribus, duriore vel in lapide insculptis, persaepe experimur; in ipsis inquam Antiquis Inscriptionibus, quibus nunquam adeò profuit marmorea soliditas, quin ipsarum synceritati plus aequo offecerit quaedam in Transcriptoribus incuria, quam, an inscitiam, an versutiam dicam, non satis scio. Ecquis neget cum Aelianâ id prae caeteris actum? Quam quoties à suprà recensitis Authoribus exaratam vidimus, toties erratam conspexerimus? quò industriùs ab ipsis transcriptam, eò inutiliùs nobis descriptam? Semper ferè novis ita perversam verbis, semperque ferè

inte-

integris adauctam versiculis, ut quam primò induit imaginem ac sensum, prorsus ammiserit. Hinc tot AELIAE LAELIAE diversae vulgantur lectiones, quot eiusdem à praedictis Scriptoribus editae cernuntur exscriptiones, alterationis ope tam opportunè immutatae ac elaboratae quandòque, ut in votum scriptoris Inscriptio sensim trahatur, psique Expositores diuersè interpretari ex verborum appendice Lapidem hunc compellantur. Has proindè singulatim recensere breviter, earumque inter se variationes aliquo ordine, & quidem cursim indicare consilium mihi est, postquam illa duo vetustiora, nec non vulgatiora hìc adduxero exemplaria, quibus, gemino veluti cardini, integrum Aenigmaticae Molis innititur pondus; & circa quae potissimum alia quaecumque levioris immutationis momento circumaguntur. En vnum ac alterum.

D M
ÆLIA LÆLIA CRISPIS
NEC VIR NEC MVLIER NEC ANDROGYNA
NEC PVELLA NEC IVVENIS NEC ANVS
NEC CASTA NEC MERETRIX NEC PVDICA
SED OMNIA
SVBLATA
NEQVE FAME NEQVE FERRO NEQVE VENENO
SED OMNIBVS
NEC COELO NEC AQVIS NEC TERRIS
SED VBIQVE IACET
LVCIVS AGATHO PRISCIVS
NEC MARITVS NEC AMATOR NEC NECESSARIVS
NEQVE MOERENS NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS
HANC
NEC MOLEM NEC PIRAMIDEM NEC SEPVLCRVM
SED OMNIA
SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT

A M.

A. M. PP. D.

ELIA LELIA CRISPIS

NEC VIR NEC MVLIER NEC ANDROGYNA
NEC PVELLA, NEC IVVENIS NEC ANVS
NEC CASTA NEC MERETRIX NEC PVDICA
SED OMNIA
SVBLATA NEC FAME NEC VENENO
SED OMNIBVS
NEC CÆLO NEC AQVIS NEC TERRIS
SED VBIQVE IACET
LELIA CRISPIS ALIAS IN CAVO ACVTO

LVCIVS AGATHO PRISCIVS

NEC MARITVS NEC AMATOR NEC NECESSARIVS
NEQVE MOERENS NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS
HANC NEC MOLEM NEC PYRAMIDEM NEC SEPVLCRVM
SED OMNIA
SCIT ET NESCIT QVID CVI POSVERIT
HOC EST SEPVLCRVM INTVS CADAVER NON HABENS
HOC EST CADAVER SEPVLCRVM EXTRA NON HABENS
SED CADAVER IDEM EST & SEPVLCHRVM SIBI

Primum apud nos Bononienses extat, alterum à Mediolanensibus vulgatum fuit: Illud celte in silice scalptum, istud membranae quondam demandatum: Illud Romano, quod vocant, charactere incisum, istud Gotthicis, ut vulgò dicitur, literis exaratum: Illud illibatum, ut constat, ac simplex, istud adulteratum, ut patet, ac auctum; atque illud propterea, ut anterius, huic meritò praeferendum est; cum illis omnibus scateat signis, quae venerandam Antiquitatem & priscam reddunt elegantiam. Quid enim unquam habent cum priscis, usitatissimisque Sepulchrorum notis D. M. insolentes illi, ac nunquam visi characteres A M. PP. D? quid illa superflua: LELIA CRISPIS

CRISPIS ALIAS IN CAVO ACVTO, quae omnino otiosa redundantiam clarè demonstrant, quae transcendunt, nihilque amplius, & ultra quod jam dictum est, operantur? Quid denique postremi tres versus:

HOC EST SEPVLCHRVM INTVS CADAVER NON HABENS
HOC EST CADAVER SEPVLCRVM EXTRA NON HABENS
SED CADAVER IDEM EST ET SEPVLCRVM SIBI,

qui sunt quid prorsus alienum à re nostrâ? Sunt inquam Epitaphium aenigmaticum, seu mavis aenigma de Niobe in petram versâ, quod in suo volumine ex diversis epigrammatis Graecis nobilium Poetarum, nec non *Daphnica* nuncupato, inter tot alia recensuit Agathias ille Scholasticus, qui post Procopium, Iustiniani Imperatoris, ejusque Ducis Bellisarii, ac Narsetis, quorum tempore ipse floruit, res gestas scripsit? Quaeque omnia Bononiensi autographo nostro ineptè seu callidè superadita, priscam ipsius synceritatem deturpare contendunt?

Vtrumque tamen exemplar suos numerat sectatores, suos jactat fautores, qui ideò ad duas classes reducuntur: Altera est eorum, qui archetypo Bononiensi nostro haerentes, ne tantulum ab eo deflexerunt: Altera eorum, qui, eodem nunquam inspecto, seu posthabito, Mediolanense potiùs exemplar sequi maluerunt. Pro Felsineo prototypo suo stetisse non est ambigendum, non solùm Bononienses omnes, (si Gherardacium excipias, qui historicâ veritate hic non admodum solicitè servatâ, parùm inquirens, Insubrium manuscripto se adjunxit) sed inter exteros etiam non pauci, qui ne ad hunc Lapidem, veluti ad syrtem, comuni plerisque Scriptorum fato allidèrent, hùc è longinquis Regionibus appulerunt, eumque ocularitèr inspectantes, ac fideliter transcribentes, in Posteros mendatum omnino expertem transmiserunt. Sunt verò Turrius, Traudius, licèt circa finem à Solino alteratus, atque adauctus, Cevartius, à Pflaumern; quibus addendus fidelis pariter trans-

ſcriptor Zaccharias Pontinus , atque alii , quos , ne Ἀῤῥάβιος ἄγγελος videar, praetereo.

Mediolanenſem verò ſchaedam ſolido huic Marmori praeferre maluerunt quammulti, praecipuè Philoſophi, qui, quò plus adulterinis additionibus puram Inſcriptionis noſtrae antiquitatem variatam ac depravatam inſpexerunt, ampliorem ſpeculationibus ſterni ſibi viam autumarunt ; quod vel ipſe unus ex noſtris Montalbanus credidit , Inſubrium inſuper Additiones (quarum noſtra omninò expers) ſuae expoſitioni mirabiliter favere faſſus, vt memoratum jam illud:

LELIA CRISPIS ALIAS IN CAVO ACVTO,

illudque Agathiae Scholaſtici aenigma de Niobe:

HOC EST SEPVLCHRVM INTVS CADAVER NON HABENS
HOC EST CADAVER SEPVLCRVM EXTRA NON HABENS
SED CADAVER IDEM EST ET SEPVLCRVM SIBI.

Sunt autem hi omnes, Michaelangelus , Virus , Draudius, vitiatus ut ſuprà, Schottus, Barnaudus, quos & refert, & confutat, ex dictis ; doctiſſimus Licetus in primo ſuo libro , donec ſecundum pro declaratione ſuae ſententiae aggreſſus , Mediolanenſium Schaedam amplexetur & ipſe , ac ſequatur; quibuſque omnibus adjungimus Reuſnerium , Zverium , Drexellium , Beyerlinck, Caſtellioinm , Labbe , Nicolium , Veranii, Spon ; ultrà Gherardaccium noſtrum, ac Montalbanum , modo quo ſuprà. Pleniùs tamen, atque clariùs hae omnes, ac ſingulae diſcrepantiae, unico apparebunt intuitu, ſi aliquo ordine ſubiiciantur oculis. Si Epitaphium, inquam, noſtrum de verſiculo in verſiculum hic repetendo , ſub dictorum quolibet differentias jam indicatas, ac tot alias innumeras deſcribendo, ſingulaſque Authori ſuo attribuendo, quot modis, & in quibus mutilatum, variatum, auctumve fuerit, per modum cujuſdam tabulae, oculari inſpectioni palpandum , ut ita loquar, ſubiecero hoc pacto , videlicet:

D M

Retinent

TVRRIVS
DRAVDIVS
BARNAVDVS
GEVARTIVS
A PFLAVMERN
IOANNES HENRICVS In Mercurio Italico, post antecedens caput jam editum, ac in præsenti tantùm, à doctissimo, ac religiosissimo Canonico Santhagata mihi perhumaniter exhibito.

BOLDONIVS
RICHEA
ALIDOSIVS
MASINVS
NIGER
MONTALBANVS
MENGOLVS

Omittunt

SCHOTTVS
PONTINVS
SVVERTIVS
CASTELLINIVS
KIRCHERVS

THESAVRVS
VERANI
PALAT. ELOQ.
FERRONIVS
BORDOCCHIVS

Immutant

MICHAELANGELVS
REMIGIVS
addens Sanctè D.M.S.
VITVS
LICETVS
REVSNERIVS
ZVERIVS
DREXELLIVS
BEYERLINCK

TONIOLA
POMEY
LABBE
NICOLIVS
SPON
GHERARDACCIVS
Harum vice apponentes has quinque litteras: A.M. PP.D.

ÆLIA LÆLIA CRISPIS

Retinent

VITVS

TVRRIVS

DRAV-

DRAVDIVS
BARNAVDVS
GEVARTIVS
REVSNERIVS
A PFLAVMERN
ZVERIVS
DREXELLIVS
BEYERLINCK
LABBE
THESAVRVS

TONIOLA
PALAT. ELOQ.
POMEY
RICHEA
SPON
FERRONIVS
ALIDOSIVS
BORDOCCHIVS
MENGOLVS

Immutant

MICHAELANGELVS
LICETVS
ambas diphthongos abiiciendo, sic: ELIA LELIA
SCHOTTVS
PONTINVS
VERANI
in prima diphthongo divisa, in secunda contractis litteris sic: AELIA LÆLIA
REMIGIVS
SVERTIVS
BOLDONIVS
NIGER
utramque diphthongum diversis literis

prout vero scribi deberet, & ita inscriptum fuisse antiquum lapidem firmissime credimus, hoc videlicet modo: ÆLIA LÆLIA.
CASTELLINIVS
ita: ELIA LÆLIA.
KIRCHERVS
sic: ÆLIA LÆLIA BISTIS.
NICOLIVS
sic: AELIA LELIA.
GHERARDACCIVS
HELIA LÆLIA.
MASINVS
MONTALBANVS
ÆLIA LELIA.

NEC VIR NEC MVLIER NEC ANDROGYNA

Retinent

TVRRIVS
DRAVDIVS
SCHOTTHVS
BARNAVDVS
PONTINVS
GEVARTIVS
LICETVS
REVSNERIVS
A PFLAVMERN
ZVERIVS

SVVERTIVS
DREXELLIVS
BEYERLINCK
LABBE
KIRCHERIVS
NICOLIVS
VERANI
BOLDONIVS
RICHEA
SPON

FERRONIVS
ALIDOSIVS
MASINVS
NIGER

BORDOCCHIVS
MONTALBANVS
MENGOLVS

Immutant

REMIGIVS
Omittens VIR, sic: NEC MVLIER NEC ANDROGYNA.
MICHAELANGELVS
VITVS
CASTELLINIVS
TONIOLA
Mutantes prima duo NEC in NEQVE, & MVLIER in FOEMINA ita: NEQVE VIR NEQVE FOEMINA NEC ANDROGYNA.
POMEY
Mutans & ipse MVLIER in FOEMINA, sic: NEC VIR NEC FOEMINA NEC ANDROGYNA.
GHERARDACCIVS
Illud supplens NEC in NEQVE, & illud MVLIER in FOEMINA sic: NEQVE VIR NEQVE FOEMINA NEQVE ANDROGYNA.
PALAT. ELOQV.
Ommittens illud ANDROGYNA sic: NEQVE VIR NEQVE MVLIER.
THESAVRVS
Ita: NEC VIR NEC MVLIER NEQVE ANDROGYNA, & subdens ipse solus: SED OMNIA.

NEC PVELLA NEC IVVENIS NEC ANVS

Retinent

REMIGIVS
TVRRIVS
DRAVDIVS
SCHOTTVS
BARNAVDVS
PONTINVS
GEVARTIVS
LICETVS
REVSNERIVS
A PFLAVMERN
ZVERIVS
SVVERTIVS
DREXELLIVS
BEYERLINCK
LABBE

NICOLIVS
THESAVRVS
VERANI
TONIOLA
BOLDONIVS
PALAT. ELOQV.
POMEY
RICHEA
SPON
FERRONIVS
ALIDOSIVS
MASINVS
NIGER
BORDOCCHIVS
MONTALBANVS

MEN-

MENGOLVS

Immutant

MICHAELANGELVS
VITVS
stim NEC PVELLA; hoc pacto: NEQVE IVVENIS, NEQVE ANVS.
CASTELLINIVS
GHERARDACCIVS
Illud NEC in NEQVE, & omit-

KIRCHERVS
Omittens NEC IVVENIS, solùm subdens NEC PVELLA NEC ANVS.

NEC CASTA NEC MERETRIX NEC PVDICA

Retinent

REMIGIVS
TVRRIVS
DRAVDIVS
PONTINVS
GEVARTIVS
A PFLAVMERN
LICETVS
SVVERTIVS
LABBE
KIRCHERVS
THESAVRVS

VERANI
TONIOLA
BOLDONIVS
PALAT. ELOQV.
FERRONIVS
ALIDOSIVS
MASINVS
NIGER
BORDOCCHIVS
MONTALBANVS
MENGOLVS

Omittunt

SCHOTTVS
BARNAVDVS
REVSNERIVS
ZVERIVS
BEYERLINCK
SPON
Illud NEC CASTA [illegible] solùm scribentes NEC MERETRIX NEC PVDICA.
MICHAELANGELVS
VITVS

CASTELLINIVS
GHERARDACCIVS
Illud NEC PVDICA, & mutantes NEC in NEQVE, ita: NEQVE CASTA NEQVE MERETRIX.
DREXELLIVS
NICOLIVS
POMEY
Verò ita [illegible] NEC PVDICA NEC IMPVDICA.

SED

SED OMNIA

Retinent

OMNES

Vnico excepto DREXELLIO scribente: NEC OMNIA errore forsitan Typographi.

SVBLATA

Retinent

OMNES

Licet vt plurimum ponant iunctum vel superiori vel inferiori versui, prout passim de aliis, nullo seruato ordine linearum.

NEQVE FAME NEQVE FERRO NEQVE VENENO

Retinent

REMIGIVS
MICHAELANGELVS
VITVS

Postponentes tamen hi duo postremi hunc versum sequenti versui.

TVRRIVS
BARNAVDVS
PONTINVS
GEVARTIVS
A PFLAVMERN
REVSNERIVS
DREXELLIVS
CASTELLINIVS
LABBE
KIRCHERVS
NICOLIVS
PALAT. ELOQV.
POMEY
RICHEA
GHERARDACCIVS
ALIDOSIVS
MASINVS
BORDOCCHIVS
MONTALBANVS
MENGOLVS

Omittunt

DRAVDIVS

Illud NEQVE FERRO, addunt: NEC IGNE NEC PESTE.

FERRONIVS

Illud NEQVE FAME.

Immu-

Immutant

SCHOTTVS
BEYERLINCK
Postremum duplex NEQVE in NEC, ita: NEQVE FAME NEC FERRO NEC VENENO.
LICETVS
REVSNERIVS
VERANI
Triplex NEQVE IN NEC, ita: NEC FAME NEC FERRO NEC VENENO.
ZVERIVS
SPON
Ita: NEQVE FAME NEC FERRO NEQVE VENENO.
SVVERTIVS
THESAVRVS
TONIOLA
Anteponentes ferrum fami, & alia addentes sic: NEQVE FERRO NEQVE FAME NEQVE VENENO NEC IONE NEC PESTE.
NIGER
Anteponens sed nil addens.
BOLDONIVS
Addens solùm NEQVE PESTE.

SED OMNIBVS

Retinent

OMNES

Addunt *solùm*

MICHAELANGELVS
VITVS
LICETVS
CASTELLINIVS
GHERARDACCIVS
Impertinentem illum versum: LÆLIA CRISPIS ALIAS IN CAVO ACVTO.

NEC CŒLO NEC AQVIS NEC TERRIS

Retinent

REMIGIVS
DRAVDIVS
SCHOTTVS
BARNAVDVS
GEVARTIVS
LICETVS
A PFLAVMERN
REVSNERIVS
ZVERIVS
SVVERTIVS
DREXELLIVS
BEYERLINCK
LABBE
KIRCHERVS

NICO-

NICOLIVS
THESAVRVS
VERANI
BOLDONIVS
PALAT. ELOQV.
POMEY

RICHEA
SPON
FERRONIVS
ALIDOSIVS
BORDOCCHIVS

Immutant

MICHAELANGELVS
VITVS
TONIOLA

Illud Triplex NEC in NEQVE, & postponendo Aquas Terris, ita: NEQVE CÆLO NEQVE TERRIS NEQVE AQVIS.

TVRRIVS
MASINVS
MONTALBANVS
MENGOLVS

Postponentes solùm Aquas Terris hoc pacto: NEC CÆLO NEC TERRIS NEC AQVIS.

PONTINVS

Anteponens Aquas Cælo, & Terris, ita: NEC AQVIS NEC CÆLO NEC TERRIS.

CASTELLINIVS
GHERARDACCIVS

Addentes QVÆ, & mutantes omnia NEC IN NEQVE hoc modo: QVÆ NEQVE CÆLO NEQVE TERRIS NEQVE AQVIS.

SED VBIQVE IACET

Retinent

OMNES

LVCIVS AGATHO PRISCIVS

Retinent

TVRRIVS
DRAVDIVS
SCHOTTVS
BARNAVDVS
PONTINVS
GEVARTIVS
REVSNERIVS
A PFLAVMERN

ZVERIVS
SVVERTIVS
DREXELLIVS
BEYERLINCK
LABBE
KIRCHERVS
NICOLIVS
BOLDONIVS

RI-

RICHEA
ALIDOSIVS

NIGER
BORDOCCHIVS

Omittunt

MICHAELANGELVS
VITVS
Prorsus, eiusque vice apponunt jam dictum: LELIA CRISPIS ALIAS IN CAVO ACVTO.
CASTELLINIVS

GHERARDACCIVS
Idem anteponunt, sed omisso ALIAS.
POMEY
Omittens penitus integram hanc secundam partem Epitaphij.

Immutant

REMIGIVS
SVVERTIVS
THESAVRVS
VERANI
PALAT. ELOQV.
Ponens pro PRISCIO CRISPVM, ita ut respondeat verbo superiori CRISPIS, tali pacto LVCIVS AGATHO CRISPVS.
LICETVS

TONIOLA
SPON
FERRONIVS
MASINVS
MONTALBANVS
MENGOLVS
Pro PRISCIO ponentes PRISCVM, ita: LVCIVS AGATHO PRISCVS.

NEC MARITVS NEC AMATOR NEC NECESSARIVS

Retinent

REMIGIVS
TVRRIVS
DRAVDIVS
SCHOTTHVS
BARNAVDVS
PONTINVS
GEVARTIVS
LICETVS
REVSNERIVS
A PFLAVMERN
ZVERIVS
SVVERTIVS
DREXELLIVS

BEYERLINCK
LABBE
NICOLIVS
THESAVRVS
VERANI
TONIOLA
BOLDONIVS
RICHEA
PALAT. ELOQV.
SPON
FERRONIVS
ALIDOSIVS
MASINVS

NIGER
MONTALBANVS
BORDOCCHIVS
MENGOLVS

Omittunt

MICHAELANGELVS
VITVS
CASTELLINIVS
GHERARDACCIVS
Illud NEC NECESSARIVS, & mutant MARITVM in VIRVM, & NEC in NEQVE tali pacto: NEQVE VIR NEQVE AMATOR.

Immutant

KIRCHERVS
Secundum NEC IN NEQVE, hoc videlicet pacto: NEC VIR NEQVE AMATOR NEC NECESSARIVS.

NEQVE MŒRENS NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS

Retinent

REMIGIVS
Solùm scribens MOERENS.
TVRRIVS
DRAVDIVS
SCHOTTVS
BARNAVDVS
PONTINVS
GEVARTIVS
LICETVS
REVSNERIVS
A PFLAVMERN
ZVERIVS
SVVERTIVS
DREXELLIVS
BEYERLINCK
LABBE
KIRCHERVS
NICOLIVS
THESAVRVS
VERANI
TONIOLA
Solùm mutans NEQVE GAVDENS in NEQVE GEMENS.
BOLDONIVS
PALAT. ELOQ.
RICHEA
SPON
FERRONIVS
ALIDOSIVS
MASINVS
NIGER
MONTALBANVS
BORDOCCHIVS
MENGOLVS

Omittunt

MICHAELANGELVS
VITVS
CASTELLINIVS
GHERARDACCIVS
NEQVE MÆRENS, & mutant illud GAVDENS in RIDENS tali pacto: NEQVE FLENS NEQVE RIDENS.

HANC

NEC MOLEM NEC PYRAMIDEM NEC SEPVLCRVM

Retinent

REMIGIVS
TVRRIVS
GEVARTIVS
LICETVS
REVSNERIVS
A PFLAVMERN
ZVERIVS
SVVERTIVS
DREXELLIVS
BEYERLINCK
LABBE
NICOLIVS
THESAVRVS
VERANI
TONIOLA
BOLDONIVS
RICHEA
SPON
FERRONIVS
ALIDOSIVS
BORDOCCHIVS

Omittunt

MICHAELANGELVS
VITVS
CASTELLINIVS
GHERARDACCIVS

Immutant

DRAVDIVS
Vltimum NEC in NEQVE, ita: NEC MOLEM NEC PYRAMIDEM NEQVE SEPVLCRVM.
SCHOTTVS
KIRCHERVS
Primum NEC in NEQVE, sic: NEQVE MOLEM NEC PYRAMIDEM NEC SEPVLCRVM.
BARNAVDVS
PALAT. ELOQV.
Prima duo, ita: NEQVE MOLEM NEQVE PYRAMIDEM NEC SEPVLCRVM.
PONTINVS

MASINVS
NIGER
MONTALBANVS
MENGOLVS

Illa tria NEC in NEQVE ...

... NEQVE MOLEM NEQVE PYRAMIDEM NEQVE SEPVLCRVM.

SED OMNIA

Retinent

TVRRIVS
DRAVDIVS
SCHOTTVS
BARNAVDVS
GEVARTIVS
LICETVS
REVSNERIVS
A PFLAVMERN
ZVERIVS
SVVERTIVS
DREXELLIVS
BEYERLINCK
LABBE
KIRCHERVS
NICOLIVS
THESAVRVS
VERANI
TONIOLA
BOLDONIVS
PALAT. ELOQV.
RICHEA
SPON
FERRONIVS
ALIDOSIVS
MASINVS
NIGER
MONTALBANVS
BORDOCCHIVS
MENGOLVS

Omittunt

REMIGIVS
MICHAELANGELVS
VITVS
PONTINVS
CASTELLINIVS
GHERARDACCIV

SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT

Retinent

TVRRIVS
DRAVDIVS
GEVARTIVS
A PFLAVMERN
SVVERTIVS
DREXELLIVS
BEYERLINCK
KIRCHERIVS
THESAVRVS
VERANI

TONIO-

TONIOLA	MASINVS
BOLDONIVS	NIGER
PALAT. ELOQV.	MONTALBANVS
RICHEA	BORDOCCHIVS
FERRONIVS	MENGOLVS
ALIDOSIVS	

Omittunt

MICHAELANGELVS	GHERARDACCIVS
VITVS	*Illud ET, videlicet: SCIT NESCIT CVI POSVERIT.*
REMIGIVS	
CASTELLINIVS	

Immutant

REVSNERIVS	BARNAVDVS
ZVERIVS	PONTINVS
NICOLIVS	LICETVS
SPON	LABBE
Illud CVI in QVID, ita: SCIT ET NESCIT QVID POSVERIT.	*Addentes QVID hoc pacto: SCIT ET NESCIT QVID CVI POSVERIT.*
SCHOTTVS	

Et hae ſunt omnes praecipuae diſcrepantiae, quae à nativo atque germano archetypi noſtri contextu prorsùs alienae, priſcam, atque puram putam ipſius lectionem depravare poſſent, ni Lapidis teſtimonio ſuffulta conſiſtens, tot adductas aliorum mutilationes, additiones, immutationes à ſe penitus auerteret, in novum Authorem ſuum refunderet, eaſque potiùs in illibatae Antiquitatis propriae teſtimonium traduceret; Nam haec *tam varia* lectio Monumenti (inquit & ipſe Licet. in praememoratâ Allegoriâ Peripatet. lib. 2. cap. 2.) *à Mario, à Turrio, à Barnaudo, à Schotto, & ab alijs propoſita, ſatis euidentem facit ipſius antiquitatem; noua enim ſcripta huiuſmodi leguntur nondum paſſa, ut habetur etiam 4. Phiſicorum tom. 117. temporis edaciſsimi grauiores injurias: quæ verò ab antiquo ad nos perue-*

ne-

nerunt Scriptorum monimenta, mirum quàm varia, quamque diversa passim habeantur; alia alijs mutilata partibus, alia alijs variata partibus, seu transcribentium culpa, vetustissimas literarum notas non exactè intelligentium, seu etiam materiæ vetustate corrosæ, corruptæque: quum ergo Marianæ, Turrianæque lectioni pleraque deficiant eorum, quæ in Arnaudina leguntur; & in hac etiam nonnulla desint illis inexistentia; quumque in his eadem vario modo dispofita etiam legantur; ne signum est hoc præclarum antiquitatis ænigmatis huius Agathonij?

Hanc igitur nostram, cunctis posthabitis, retineamus; eam solùm, uti unicè veram ac legitimam, interpretandam assumamus, atquè tenuem ac terream sententiam nostram, omninò citrà aliarum contemptum prolatam, non contentiosè, sed officiosè ac obsequenter potiùs, caeteris tam grandibus ac Aethereis subnectamus.

Non hìc Centauros, non Gorgonas, Harpiasque
Invenies; hominem pagina nostra sapit.

Nova

Nova
Aenigmaticae Inscriptionis nostrae
Expositio;
quod scilicet per eam intelligi debeat
ἘΚΤΡΩΣΙΣ,
& quomodò, &c.

Caput III.

SI quis per otium à me exquirat, quid sit causae, cur consilia mulierum, quae ex tempore erumpunt, plerùmque illis praestantiora habeantur, quae ex earundem meditatione prodierunt; id omninò evenire ex eo statuerem, quòd in ipsis artificium elocutionis non vitiat synceritatem sententiae, quòd tunc cedit exercitium mentis lumini veritatis, in animâ nostrâ, divinitatem redolente, à primo creationis limine insiti. Necquiquam igitur ingenitam veritatis lucem in latebris studiosè perquirimus, cum sit satius ipsam, tamquam adventitium Coeli munus, praestolari. Nimirum haec quoque ad reliquas mortalitatis aerumnas accedit, ut quò operosiùs assequi contendimus eximium aliquid, eò faciliùs voto nostro frustremur; quod in Raphaele Sanctio, & Andreâ vulgò *del Sarto* vocato, saepe ac saepius contigisse, eloquens admonebat Vasarius. Quoties enim uterque in divinis imaginibus fingendis aliquid ultrà vires edere conabatur, toties iisdem plurimùm excellentiae adimebat. Cum igitur qui magis enituntur, minus (ut in meâ Felsinâ Pictrice adnotabam) eiusdem Authoris sententiâ, persaepè proficiant, quique ad sublimiora tendunt, casu majore decidant; suo siquidem ausu:

tollun-

——— ——— ——— *tolluntur in altum,*

Vt lapsu graviore ruant; ——— ———

diligentiori proindè parcendum esse examini censui; eamque, pro genuinâ statuendam Aenigmatis solutionem opinor, quae statim, ut monebam, & primâ Lapidis inspectione mihi sese obtulit; hancque propterea (ut Veritatem decet) nullo Philosophici sophismatis, aut Rethoricae hyperboles fuco mangonizatam evulgo. Quod si quis haec, tamquam è triuio petita, contemnat, sciat maluisse me per humum reptare, quàm per *nubes*, aut *Coelum* volitare, seu inter *Aquas pluvias*, *Ideamue Platonis*, *Improbos spiritus*, *Errantesue Vmbras*, perque *Amoris* deliramenta efferri ac diuagari, ne ejus sorte, qui

——— ——— ——— *Icariis nomina fecit aquis,*

ipse quoque praecipti lapsu audaciae poenas luerem. Quidquid ergo sensum refugit, seponamus; non enim me latet Socraticum illud, *quae supra nos nihil ad nos*, (quod ego citrà impietatem assertum volo)

Quaeque latent magis haec per magè aperta patent,

de quo pariter Alciatus in emblem. & signanter Bocchius noster symbolo 54. lib. sec.

Quid enim, amabo, hìc habet cum *Animae Rationalis* expositione exanimi corporis depositio? Quid cum *Materiae Primae* delineatione ultima hìc dierum linea? Quid cum descripto *Lapide Philosophorum*; Inscriptus iste Lapis mortuorum? Toto equidem distat Coelo, ab ideali *Generatione*, *Amicitia*, *& Priuatione* FORTVNII, istud Generationis Laelianae Infortunium: Amicitiae Laelianos inter & Agathonios, per coniugalem quoque nexum arctiùs obstringendae dissolutio, bonorumque omnium Laelii in Agathoniam Gentem, dotis, nec non haereditatis nomine transmittendorum priuatio, quae legitimum praebet, vt arbitror, Inscriptioni nostrae argumentum. Loquitur nempe, ut in pauca rem conferam, meque clariùs explicem, de Filiâ Laelio nasciturâ, eâdemque Sponsâ Agathoni designatâ;

sed

ſed non Filiâ, ſed non Sponsâ, quia concepta, non edita; quia non orta, ſed aborta; quà propter tali ac tantâ ſpe fruſtratus Agatho, jam pridem delectus in coniugem, & à ſorte eluſus, hâc Aenigmaticâ Inſcriptione iuremeritò ſic & ipſe luſit, vel ludentis ſpeciem praebuit:

D M

ÆLIA LÆLIA CRISPIS

NEC VIR NEC MVLIER NEC ANDROGYNA
NEC PVELLA NEC IVVENIS NEC ANVS
NEC CASTA NEC MERETRIX NEC PVDICA
SED OMNIA
SVBLATA
NEQVE FAME NEQVE FERRO NEQVE VENENO
SED OMNIBVS
NEC COELO NEC AQVIS NEC TERRIS
SED VBIQVE IACET

LVCIVS AGATHO PRISCIVS

NEC MARITVS NEC AMATOR NEC NECESSARIVS
NEQVE MOERENS NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS
HANC
NEC MOLEM NEC PYRAMIDEM NEC SEPVLCRVM
SED OMNIA
SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT

D M

Hoc eſt DIS MANIBVS; adeò frequens mortuorum conditorum, ſeu ſaltem memoratorum nota, ut Inſcriptionem noſtram ad ſarcophagum penitus ſpectare, per ſe ſatis evincat.

F Quod

Quòd quum nemo ex anteaſtis Scriptoribus ire poſſet inficias, quamplurimi declinandum eſſe ſcopulum ſtatuerunt; factumque memoratâ literarum, vel omiſſione, vel immutatione: utrumque (quod ad hiſtoricam fidem attinet) inconſultò ſaltem, ni temerè. Sed minùs fortaſsè carpenda omiſſio, quum hujus notae, caeteroquì communis, non adeò religioſi obſervatores ſe praebuerint Antiqui, quin eam ſaepe inſignioribus vel in Lapidibus omiſerint, ut apud Gruterum, alioſque Inſcriptionum Collectores. Quòd ſi huiuſmodi quandòque literas immutarunt, earum vice has quidem appoſuerunt, I. O. M. I. O. M. D. I. D. I. M. S. C. S. F. M. D. M. I. M. D. M. S. M. D. S. M. M M. S. D. S. D. S. I. M. S. I. M. S. S. S. I. N. H. D. D. D. H. D. D. Tutelae P. L. M. M. L. D. P. In H. D D. N. T. M. S. A. S. H. V. D. aliaſque conſimiles; Nullatenus verò haſce praepoſuerunt: A. M. P P. D. quas hinc etiam, ex eorum ingenio, à Mediolanenſibus effictas, ſuffectaſque fuiſſe, noſcere poſſumus. Id quod non illepidè aliqui ſic interpretati ſunt: A cademici M ediolanenſes P atavinis P roponunt D iſſoluendum; ſeu (vt illorum ipſiſſimis vtar verbis) A cademici M ediolanenſes P hiloſophis P atavinis D onant; quibus mihi pariter jocari ſic liceat: A enigma M alè P er P atavinos D eclaratum.

ÆLIA LÆLIA CRISPIS

Nomina expectato huic & expetito partui imponenda, ſi ad tempeſtiuam, ſi ad completam foeturam perductus, ac editus, apparuiſſet foemineus, prout Agathoni, eâ conditione ſponſo deſignato, erat in votis; ſicuti olim nomen Herois nondum extantis, ita ab Anchiſe memoratum legimus:

Heu,

Heu, miserande puer, si quà fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. ————

quum autem non fuerit verè conceptus foemineus iste foetus; seu si conceptus extiterit, primis diebus in talem abortum, immo aborsum cesserit, ut decretum hoc sibi nomen non solùm assumere, sed nec animam ipsam recipere, ullamque vix formam induere valuerit; sic inanimatus, sic informis Embryo, rarum, ac inauditum Inscriptionis thema suppeditavit perspicaci huic Concivi nostro. Ille siquidem hunc irritum sibi casum memoriae Posterorum tradere peroptans, eundemque sepulchrali marmori commendare studiosè gestiens, multiplici hâc locupletatum antithesi, sub Aenigmatis specie, cunctis impostere m hujusmodi euentum fortè ignoraturis, perlegendum ac enodandum proposuit. Atque ea primùm ordine congessit, quae Sexum, quae Aetatem, quae Statum respiciunt, & quorum alterum quum adulto conuenire necesse fuerit, nullum tamen Embryoni huic congruere potuit, & ideo per negationem

NEC VIR NEC MVLIER NEC ANDROGYNA
NEC PVELLA NEC IVVENIS NEC ANVS
NEC CASTA NEC MERETRIX NEC PVDICA;

quae tamen omnia in se gerere ac repraesentare potuisset, si priùs eidem nasci, si eidem viuere contigisset, ideo

SED OMNIA.

Omnia tamen in fieri non in facto esse; potentiâ non actu; seu in actu primo & signato, non in secundo & exercito, ut Scholarium terminis utar: quum actu nihil ex praemissis fuerit, potentiâ verò eadem omnia fuerit. Omnia, non quidem conjunctim, non collectiuè (ut in Iure nostro distingue-

 re con-

re consuevimus) sed disiunctim, distributivè, hoc est alterum è tribus praedictis omnibus etiam ter ductis : Vel Masculus scilicet, vel Foemina, vel Utrumque simul, si ortum respicias: Vel Puella scilicet, vel Iuvenis, vel Vetula, si annos numeres: Vel Casta tandem, vel Meretrix, vel Pudica, si conditiones, si qualitates, cuique nasciturae impendentes, cogites. Si eventus inquam eosdem prae oculis habeas, qui successivâ Fatorum serie praecoci huic partui imminere poterant, quique quodamodo ab illo foelici Elysiorum Incolâ, veluti lituo, ita Posteris designabantur:

Inclusas animas, superumque ad lumen ituras
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Fortè recensebat numerum, carosque nepotes,
Fataque, fortunasque Virum, moresque, manusque.

Expendenda modò sequitur Mors, necessariò Vitae succedens; quumque nullam assecuta fuerit Laelia vitam, nullam consequenter debuit experiri mortem, quapropter non ex falso subdidit Agatho

SVBLATA
NEQVE FAME NEQVE FERRO NEQVE VENENO,

licèt his omnibus, disiunctim tamen, ut suprâ, idest aliquo ex his tribus teterrimis mortis generibus occumbere potuisset; vel Fame inquam, vel Ferro, vel Veneno, sicque potentiâ semper, non actu

SED OMNIBVS.

At si nullam nacta est vitam Puella haec vix dum concepta, nullam perpessa est mortem haec voto tantùm designata Sponsa; ubi dici poterit ipsius conditum esse cadaver?

NEC COELO NEC AQVIS NEC TERRIS,

hoc est NVLLIBI; unde statim eidem contrarius opponitur terminus VBIQVE,

SED VBIQVE IACET;

eâ ferè loquendi formulâ, quâ dictum est à Niobe in Latonam Nullibi receptam:

Nec Cælo, nec Humo, nec Aquis Dea vestra recepta est. Immo nec absimili schemate Cicero, de finib. bonor. lib. 5. de speculationibus Peripateticorum, ubique se se ingerentium: *Natura* (ait) *sic ab ijs investigata est, ut nulla pars Cælo, Mari, Terra* (*ut poetice loquar*) *prætermissa sit.* Id enim frequentissimum est apud Poetas, ut penes Virgil. ubi Neptunus se multa ubique fecisse iactat, ut Aeneam servaret:

——— ——— ——— ——— ——— sæpe furores
Compressi, & rabiem tantam Cælique, Marisque,
Nec minor in Terris (Xantum, Simoentaque testor)
Aeneae mihi cura tui, &c.

Poeticè ergo non solùm, sed amplificativè, hyperbolicè, atque, ut ita loquar, emphaticè (non enim nostrae rudis & crassae expositionis gratiâ, haec verba horrescimus) dictum est non jacere Coelo, non Aquis, non Terris; eo propè modo, quo de homine aliquo vbiquè quaesito, nullibique reperto, communiter dici solet: Nec coelo, nec terrâ, nec mari ipsum extare, ipsum reperiri; quum tamen Laelia nostra quocunque ex illis tribus locis disjunctim tantùm, ut suprà, sicque vbique potentiâ semper jaceat, non actu, ex quo ipsa vere non fuit; non entis autem nullas esse qualitates, est inconcussum apud Philosophos.

LVCIVS AGATHO PRISCIVS.

Nomina istius aenigmatici Inscriptoris, qui, ex quo non valuit hanc non natam ducere, eam non viventem diligere, ei non mortuae succedere, nec consequenter de ejus interitu, aut moerere, aut laetari, aut flere, propterea

NEC MARITVS NEC AMATOR NEC NECESSARIVS
NEQVE MOERENS NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS;

Non Moerens insuper, sed potius ludens hac in Epigraphe; non Gaudens, propter amissam spem successionis; non Flens, quia leue est, ut scripsit Petrarca de remed. utriusq. fort. lib. 2. dial. 16. *sponsam ammittere, non ita coniugem, est enim levior spei jactura, quam rei;*

HANC
NEC MOLEM NEC PYRAMIDEM NEC SEPVLCRVM,

sed simplicem ac puram Inscriptionem, tum Moli, tum Pyramidi, tum Sepulcro ritè, proque arbitrio apponendam; sicque Omnia, idest alterum è praedictis omnibus alternativè repraesentare aptam; itaque

SED OMNIA
SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT;

quia scit quidem nomen, quod à parentibus ductum huic partui imponi debuerat; nescit tamen, quia nondum eodem nomine fuerat donatus.

Hunc autem fuisse verum, atque unicum Inscriptoris hujus anti-

antiquissimi sensum, synceramque Agathonis nostri mentem minimè puto ambigendum, quoties aliorum hucusque, ut aliàs monui, idealibus speculationibus posthabitis, in nudâ nostrâ, ac genuinâ vocum significatione persistere statuamus, ita ut tantum dicant haec obscura verba, quantum sonant, vt à lege praecipimur. Quoties inquam cum I. C. in l. Labeo juncta l. 3. ff. de supel. leg. nil aliud in ipsis attendere velimus, praeter communem atque frequentem usum loquendi; cum Ulpiano in l. Quoties in stipulationibus ff. de V. O. promptiorem significationem; cum Marcello in l. Non aliter ff. de leg. 3. cum Proculo in l. Nepos Proculo ff. de V.S. cum Paulo in l. si dictum. in prin. ff. de evict. cum Iuliano in l. Ita vulneratus ff. ad l. Aquil. cum eod. Iuliano in l. Item praetor ff. de suis & legit. haered. & aliis. germanam denique, seu propriam interpretationem; quae tria tantùm in verbis, secundùm ll. praedictas & DD. attendenda veniunt. Relinquere enim in verbis intelligendis, in sermone interpretando praedictam loquendi consuetudinem, aptiorem significatum, dicendi proprietatem, est genium relinquere bonum, ut prauo adhaereamus; quod eruditissimus advertit Bocchius in suis Emblematibus, ad illud: *Accomodanda verba rebus esse, nec vim ullam afferendam inventis, ita:*

Optima nimirum rebus plerumque cohærent,
Cernunturque adeo lumine verba suo:
Ipsa tamen tanquam lateant, semperque recedant
Quærimus, atque locis ex aliis petimus
Quæ Natura jubet nobis præsto esse benigna.
Quid quæris? Genium hoc est violare bonum.
Optima sunt minimè accersita, simillima veris
Obstant synceris pessima simplicibus.

A syncerâ ergo, à simplici, ac domesticâ explicatione hâc nostrâ non recedamus, immo eandem suffulciamus argumento à consuetudine Gentium deducto: Fit enim quandoque (quod

& ipse

& ipse Carerius de Sponsal. lib. 2. cap. 4. adnotavit, & passim Alciat. de legib. Connub.) ut Stirpes amicitiae vinculis foederatae, arctiùs devinciantur per haec decreta natorum sponsalia, per haec praescripta descendentium matrimonia; quâ quidem foeminarum traditione, (dilectione in affinitatem versâ) beneuolentia ac concordia in posteros extenditur ac propagatur. Et sicuti ad eandem consovendam, Spartiatae ac Misenii proprias virgines invicem transmittere consueverunt, ita ad eandem conciliandam Romani Proceres, sorores, filias, neptes mutuò sibi ipsis in uxores tradebant, ut à Caesare Iuliam desponsante Pompeo, ut à M. Antonio jungente Claudiam Octauiano, caeterisque priscis Imperatoribus augustissima depromi possent exempla, è quibus eundem animum Laelianae, Agathoniaeque Genti fuisse arguitur; ut scilicet diutina inter Genitores mutuae amicitiae fides, per initum inter hosce filios conjugium protraheretur.

Verùm quia conjectandi licentiam faciunt, obumbrati Antiquitatis caligine casus, ac veritatis attingendae studium; non improbabile ducerem, hoc etiam ex solâ Laelii liberalitate obvenisse, qui seu aliquo erga Agathoniam hanc Gentem beneficio obstrictus, seu formâ, probitate, virtute Agathonis hujus incensus, seu tandem tenuem ejus substantiam miseratus, nascituram hanc sibi Laeliam, vivens adhuc, eidem offerre, vel moriens testamento desponsandam relinquere decreuerit. Sed cujvis alteri, ex his quae occurrunt, conjecturae, hanc quae sequitur, praeferendam puto; insitus nimirùm ille amor, atque commune votum propriae Gentis quoquomodo perpetuandae; ac proinde, masculâ deficiente prole, foeminam, si quae sit, nuptui alicui tradendi, qui nomen soceri, secùm extinguendum, in se resumat, atque in nascituros inde nepotes perpetuò mansurum transmittat. Et hoc est quod nobis potissimùm arridet: Laelium scilicet per hanc nasciturum filiam Agathonem sibi in generum delegisse, ut *naturam arte fulciret*, *dum*

hoc

hoc peregrino successore sibi accersito, ruentis familiæ casum ingenioso hoc supplemento vitaret, ut elegantissima rudibus nostris innectam verba eloquentissimi P. Petiot, in Genetliaco olim invictissimi REGIS Nostri LUDOVICI MAGNI.

Sanè id millies à non paucis actum accepimus: Quapropter meritò conqueri videtur Honorius, apud Claudianum, de Stilicone, ob dilatas Mariae nuptias, sibi jamdiu debitas:

——— *Stilico fateor, nec pauca poposci:*
Sed certè mereor Princeps hoc Principe natus,
Qui sibi te generum fraterna prole revinxit:
Cui Mariam debes, fœdus mihi solue paternum.

Et paulò ante:

Non rapio præceps alienæ fœdera tædæ,
Sed quæ sponsa mihi pridem, Patrisque relicta
Mandatis.

Nec desunt tam priscis, quam nostris temporibus exempla vndequaque dessumpta. A Numerio Otacilio Maleventano, qui ditissimam filiam tradidit Q. Fabio vnico (post sex & tercentos ab Etruscis ex eâ familiâ interfectos) superstiti, eâ conditione, ut quem primum filium suscepisset, ei Numerii nomen imponeret. Ab Appio Claudio, ejusque uxore Antistiâ, in matrimonium certatim tradere studentibus Claudiam filiam Tiberio Graccho, apprimè caro. Ab Ostrogothorum Rege Theodorico, mirabili Eutharici indole ita capto, ut per unicam sibi filiam Amalasuntham, eum sibi in generum asciuerit. A Getiâ Pannoniae Rege, adeò splendore uirtutum Othonis Vrsceli perstricto, ut ei filiam suam nuptui locaverit. A Nicolao Priulo, erga Franciscum Foscarum tali magnanimitate pulso, ut huic, fortunae neutiquam amplae Patricio, filiam, regiâ dote dictâ, junxerit, atque eâdem ratione ad Venetorum Ducatum feliciter promoverit. Apud Nostrates à Co: ac Senatore Philippo Aldovrando, ultimis tabulis de partu sibi nasciturо disponente, quòd si filia oriretur, Co: atque Senatori Henrico

Herculano, perquàm sibi dilecto in matrimonium collocaretur. A Francisco de Vetiis denique, (ut alios praeteream) qui apud nos pariter sine liberis, uxore tantùm relictâ praegnante, decedens, testamento statuit, ut si filius nasceretur, haeres omnibus suis bonis succederet; sin filia, uniuersitatem bonorum in dotem reciperet, dum nuberet debito tempore Aeneae de Bontiis, ita tamen ut iste testatoris ac soceri gentilitiam tesseram, nec non cognomen suscipere teneretur.

Hujusmodi porrò postremis dispositionibus tali conditione vallatis ea consentiunt, quae ex antiquis legum Conditoribus Studiosus Lector excerpere posset. Idem enim ei statim occurret apud Caium lib. secundo fideicomissorum, relat. in l. Facta §. si sub conditione versic. *Si verò nominis ferendi conditio est.* ff. ad S. C. Treb. Et penes Ulpianum lib. 76. ad Edictum, relat. in l. Hoc jure utimur. §. sed & hae. versic: *si jurasses te nomen meum laturum.* ff. de donat. & alibi passim. Adstipulatur Alciatus in quintâ ex suis Legibus Connubial. pag. 100. n. 27. *Plura,* asserens, *testamenta videri, in quibus legata relinquebantur ea lege, ut legatarij ferrent nomina & arma testatoris.* Quâ sui propagandi nominis affectione, Philosophos vel ipsos quandoque tactos fuisse, idem demonstrat, exemplo Lycaonis Astyanagis Peripatetici, haec suo in testamento inter caetera scribentis: *Quae in Vrbe & Ægina habeo, Lyconi fratri praecipuo do, quòd is nomen ferat nostrum.* Accedit notissima Augusti Caesaris dispositio, qui *Haeredes instituit primos, Tiberium ex parte dimidia, & sextante, Liuiam ex parte tertia, quos & ferre nomen suum iussit, &c.* Nec absimile est 7. Aeneid. Regis Latini ad Legatos Aeneae responsum:

Vos contra Regi mea nunc mandata referte:
Est mihi nata, viro Gentis quam jungere nostrae
Non patrio ex adyto sortes, non plurima Cœlo
Monstra sinunt, Generos externis affore ab oris
(Hoc Latio restare canunt) qui sanguine nostrum

Nomen

Nomen in astra ferant: hunc illum poscere fata
Et reor, & si quid veri mens augurat, opto.

Quanquam enim adversari videantur ultimae hujusmodi voluntates contrahendorum matrimoniorum libertati, semper tamen permissae fuerunt; ex quo per ipsas, non metu poenae, sed potiùs spe lucri, homines allici dicuntur ad nuptias. Ita pluries à priscis Iurisconditoribus sub hac distinctione decisum vidimus. A Cajo in l. Cum ita legatum ff. de condit. et demonstrat. A Papiniano in l. Titio centum §.prim. et in l. Mulieri et Titio ff. eod. In l. Qui ex fratribus ff. de condit. instit. In l. Titiae si non nupserit, in l. Pater Severinam ff. de condit. & demonstrat. Ab Ulpiano in l. Quoties §. si quis ita, *il primo* ff. de haered. instit. in l. Haec conditio, et in l. Cum fuerit ff. de condit. et demonstrat. A Marcello in l. Uter ff. de condit. instit. A Pomponio in l. Si ancillae meae ff. de condit. et demonstrat. ac aliis. Agnoverunt siquidem sapientissimi Legumlatores illi, quàm juri consonae, immo bono publico, ac Reipublicae universae utiles futurae essent atque proficuae hae postremae ac posthumae liberalitates, quibus, nedum amor diffunditur, familiaeque in aevum perducuntur, ut monuimus, sed antiqua etiam dissidia componuntur, et ferales discordiae faces, adventantibus sacris Hymenaei taedis, extinguntur.

Sic pax quondam inita fuit inter Alexandrum tertium Scotorum, ac Magnum Norvergiorum Reges, eâ conditione, quòd Margarita Alexandri filia, vix dum annum nata, Horgosano Magni filio, incunabula adhuc occupanti, dum uterque ad debitam pervenisset aetatem, matrimonio jungeretur. Sic Fridericus primus Imperator, post pacem cum Gulielmo Siciliae Rege firmatam, Constantiam ejus consobrinam, ad quam Siciliae Regnum devolvendum erat, uxorem Henrico filio suo petiit, neque gravatè obtinuit: Sic denique, ne longiùs divagemur, utque nupera attingamus nostro hoc saeculo, per haec

matrimonia primos inter Europae Reges, Galliarum scilicet atque Hispaniarum, diuturnum ac exitiale bellum fuit compositum; atque adeò Amnestiae Pacisque leges, nuptiali annulo, Publica Felicitas obsignavit.

Expo-

Exponuntur fusius, ac magis confirmantur omnia strictim hactenus dicta, in explicanda prima Inscriptionis parte, quae ad Aeliam Laeliam Crispidem refertur.

Caput IV.

EO propè modo, quo ferrum ferro acuitur, clavus clavo truditur, adamas adamante perpolitur ac frangitur, sic detecta semel intima ac subobscura mens Agathonis, eximium atque imperceptibilem verborum apparatum, quo veritas involvebatur, luculenter expedit ac resecat. Quum enim decreverit ingeniosus noster Elogii Structor, huic à se incassum optatae Laeliae funebrem excitare tumulum, consequenter etiam ac necessariò voluit, iisdem artificiosissimis simul et obscurissimis verbis, veram exhibere nobis Inscriptionem Sepulcralem, aenigmaticè quidem conceptam, non autem simplex Aenigma, prout à caeteris hucusque reputatum atque evulgatum est; quum illis omnibus constet membris, seu partibus, quae ad veram perfectamque Inscriptionem contexendam omninò desiderantur, quaeque ad duo praecipuè capita, hic successivè expendenda, referuntur: ad Personam nempe, in cujus honorem inscribitur, necnon ad Personam, jussu cujus ponitur. De primo igitur in praesenti capite, de secundo in sequenti agendum.

Et primò quoad Personam, in cujus memoriam inscriptus conspicitur Lapis sex consuetae, licèt non omnes, nec semper necessariae, occurrunt qualitates, quae sunt: Nomen, Sexus,

Sexus, Aetas, Conditio, Mors, et Locus.

NOMEN est jam laudatum illud triplex: *Aelia Laelia Crispis.* AELIA LAELIA, eo pacto, quo in Grutero pag. 409. Inscript. 6. FIRMIA FIRMA. 730. 4. GRATIA GRATA. 839. 8. VERRIA VERVLA. 1179. 14. SEVERA SEVERIA, et aliae ejusdem moduli; idque ob hanc cognominis cum nomine consonantiam seu conformitatem, Antiquis haud injucundam. Immo ad quandam hic ejusdem verbi repetitionem, additâ literulâ vel syllabâ, quae redundantia seu affluentia Latinis, πλεόνασμος Graecis dicitur. Seu tandem, et veriùs forsan, eò quòd ipsius pater Aelius Laelius nuncuparetur; ex quo apud Priscos filii non solùm, sed filiae, potissimùm innuptae, à Patre plerunque denominabantur; ut 445. 2. OCTAVIA GRACILLA à T. OCTAVIO GRACILLO ejus genitore. 75. 8. FLAVIA MODESTINA ab ejus patre FLAVIO MODESTO. 42. 3. AEMILIA MATERNA à L. EMILIO MATERNO parente, sicque de innumeris.

Additum est CRISPIS, fortè à CRISPA, seu CRISPIDE matre; dum, et à genitore, et à genitrice simul compactum quandòque trahebat nomen suscepta proles; ut infra pag. 190. CERVARIVS THALAMVS à CERVARIA et THALAMO. Sic apud Gruterum illud ita reportant ab AVRELIO PERSIDIANO patre et AELIA ADIECTA matre, AVRELIA ADIECTA PERSIS. 1131. 1. à L. VARIO FAVSTO patre et AELIA HILARA matre, P. VARIVS HILARVS filius. 1036. 1. à C. ANTONIO AGATHOPO patre et ANTONIA AMPLIATA matre, CN. ANTONIVS AMPLIATVS filius. 668. 12. Et speciatim Bononiae, ex Alidosio pag. 78. 2. à T. MARCIO PAVLINO patre et CREPERIA SABINA matre, T. MARCIVS SABINIANVS filius. Siquidem suspicari, lapicidam hic errasse in authographo, quòd loco PRISCAE seu PRISCIS scalpserit CRISPIS, esset fortassè levis nimiùm conjectura; praecipuè

quum

quum PRISCVS seu PRISCIVS, non CRISPVS hic nominetur Agatho; & nullus CRISPVS, sed benè PRISCVS apud nos extet, tribus praesertim in lapidibus, à doctissimo nunquamque satis celebrato Cl. Reinesio in supplement. Gruter. noviter exhibitis, & sunt:

Bononiae.

D M

L. LICINIVS PRISCVS
ET FABIA EVPELIA
PARENTES. L. LICINIO
SEVERO. FILIO. PIENTIS
SIMO

Bononiae.

V. F.

CERVONIA CORINTHIA
P. CERVONIO. CORIN
THIO. PATRONO. M. FLA
MINIO. PRISCO. VIRO
ET SIBI

Bononiae in porta majori D. Petronii,

C. TITINVS ADELPVS
TERENTIA. L.L. PRISCA

Cuique Lapidi (quum domesticâ tot aliarum apud nos Inscriptionum Fati injuriâ & ipse perierit) hunc non modicè implexum, prae foribus ejusdem insignis Petronianae Basilicae situm, simpliciter in praesenti substituimus, aliàs unà cum caeteris Lapidibus Bononiensibus per nos, Deo dante, explicandum.

C. COR-

C. CORNELIVS . FVLLONIA . CORNELIA
C. L. HERMIA . SAL. L. OFFICIOSA. C. L. PRISCA

Immo perſcrutari velle, eundem Agathonem loco PRISCIS ſcripſiſſe CRISPIS, ut hoc ſui cognominis anagrammate idem cognomen, Aeliae Laeliae ſponſae ſuae communicandum, abſconderetur ac obſcuraretur, eſt cavillari, nimiſque audacter forſan hariolari.

Quicquid ſit, nam hiſce in antiquis nominibus examinandis (ut cum eruditiſſimo Chimentellio de Honor. Biſell. loquar ſaltem hìc ego eleganter): *periclitamur, divinamus, ſortimur, more eorum, qui tenebras inter & lucem tentabundi, potiùs repunt quàm gradiantur*; certiori & planâ coniecturae fiduciâ dicamus, Aeliam Laeliam Criſpidem, praenomen, nomen, atque cognomen nobis exhibere. *Aelia* vices praenominis hoc loci gerit, gerereque hìc potuiſſe infra innoteſcet cap. 9. quanquam communiter ponatur atque accipiatur pro nomine; cùm verè ſit nomen, nomen Gentis, & quidem ejuſdem cum Ailiâ, cum Aliâ, immo cum Haliâ, ut Cl. Patinus infert ex novo numiſmate ad Urſinum de Famil. Rom. Plebeia ſanè, unde Martialis lib. prim. Epigr. 20. ita in ipſam (uti ſaltem non abludit nomen) ludere quondam non dubitavit:

Si memini, fuerant tibi quatuor, Aelia, dentes:
Expuit una duos tuſſis, & una duos;

Sed tamen antiqua, nec non ob eximios magiſtratus geſtos, clari nominis; quapropter Horat. lib. 3. Od. 17.

Aeli vetuſto nobilis ab Lamo
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne faſtos)
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum moenia dicitur

Prin-

Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lyrim

Latè tyrannus ——— ——— ———

E quâ ideò prodierunt familiae multae, ut Cati, Galli, praedicti Lamiae, Ligures, Paeti, Stolones, ac Tuberones.

Laelia est verè nomen, nomen gentilitium, de quo, et si nulla habeatur mentio ab Ursino, satis testantur marmora, illa inprimis quae in regionibus nostris praecipuè conspiciuntur, adeò ut sola Verona, referentibus Abb. Ferret. in Mus. Lapid. pag. 92. & Com. Muscardo, in suo Musaeo, pag. 393. unum ac alterum jactet:

LELIAE. CLEMENTINAE. VXORI. INCOMPARABILI
Q. F. SECVNDVS. MARITVS. ET SIBI
FVNCTA. IACES. HIC. SED. VIVIS. VIVESQVE. SECVNDO
LELLA. TVO. DEBENT. NEC BENEFACTA. MORI
TE. TELLVS. SANCTOSQVE. PRAECOR. PRO. CONIVGE MANES
VOS. ITE. PLACIDI. TV. LEVIS. OSSA. TEGES
VIXIT. ANN. XXX. MENS. V. DIES X.

M. LAELIVS
LAELIANVS
VET. COH. VIII. PR
SIBI. ET
AIAE
PROCLAE
V. F. I

Quin & ea, quae ubique, sed praecipuè Romae sepulchrales Lapides quaeritanti, facilè praestò essent; ex quo aduertit idem Ferret. ibid. in notis, hanc eandem Gentem, è quâ emersisse sapientem, & Balbum subdit, fuisse Romae Consularem, & quamvis Plebejam, dignitati tantae tamen non imparem; ut ego infero ex hoc Lapide M. Laelio Laeliano inscripto, cui quidem Viro haud decuisset praefecturam octavae cohortis demandari, nisi nobili genere conspicuum se praebuisset; si Vegetio de re milit. hoc loco fidem adjungimus: illam suam, ut vult, irrideat Laeliam Martialis, ac tanquam in vulgarem nimis haec duo conspuat:

Quae legis causa nupsit tibi Laelia Quincto,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Dentibus, atque comis, nec te pudet, uteris emptis.
Quid facies oculo, Laelia? non emitur.

Crispis tandem est cognomen, & quidem in recto non in obliquo, ita ut Crispis--pidis, non Crispus--pa--pum dicatur; videtur enim quod sine praepositione vix rectè construeretur hodie, dum vulgariter apud nos de Pepulis, de Malvetiis, de Bentivolis, de Gozzadinis; licet cognomen Crispus--pa--pum, seu Crispus--pi, immo Crispa--pae frequenter occurrat, ut apud Pucinellum nelle Memorie antiche di Milano. pag. 12.

. P. ATTILIO===CRISPO. AD.

Apud Ap. & Amant. Inscript. Sacros. Vetust. pag. 430. 2.

MARTI
CRISPVS RAE
CI. FIL. V. S. L. M.

E Smet.

E Smet. Inscript. fol. 58. 6.

FLAVIO. VALERIO. CRISPO
NOBILISSIMO. CAES. FILIO
CONSTANTINI. MAXIMI
ADQVE. INVICTI. SEMPER. AVG.
ET. NEPOTI. DIVI. CONSTANTI

OVINIVS. GALLICANVS. V. C.
PRAEF. VRB. ET. IVDEX. SACRARVM
COGNITIONVM. DEVOTVS
N. M. Q. EIVS

E Ioanne Lucio Memor. Istoric. di Tragurio, post Volf. Laz. Amant. & alios. pag. 20.

D M

TVTVLA CRISPA
L. GV. F. SIBI. ET
OBILO. L. V. ST. LIB.
MARITO

Ex eodem Pucinell. ibid. in fin.

M. ATTILIO SABINO CONIVGI L. ABVTIVS
CARPO AEBVTIAE CRISPAE ATTILIAE
HELIADI. SODALI NOVELLIO DECVMIO HI
LINO EROTI. T. F. I

E Dodone Richeâ, in Theatro funebr. part. 4. Scen. 1. pag. 9.

Neapoli.

I. V. D. M.

CRISPE FILI LEPIDISSIME HEV HEV ORCVS TE VORAVIT DELICIVM
OMNE MIHI ABSTVLIT BACVLVM EXSVCTIS ME-DVLLIS EDENTVLAE SENECTVTIS
SECVIT SPEM NEPOTVM ATTRAXIT SECVM MA-XIMAM IN TANTA DEMVM OR
BITATE DESOLATA SVPERSVM VT NI QVI SECVS SENTIVNT MANES VETVISSENT
VIVVM ME TECVM CONTVMVLASSENT. VIX AN-NOS XII. CRISPVS PATER IN
FELICISSIMVS F. SIBI ET SVIS LIBERTIS LIBERTA BVSQ. POSTERISQ. IPS.

E Cl. Reinesio dicto supplem. pag. 543.

Romae
In horto sub Vinea Medicea.

D. M.

AELVS TIMOXE
NVS NILES EX CHO
SEPTIME PRETO
RIAE CENTVRIA
GLYCONIANA
BALERIO CRISPO
COMMANIPVLA
RIO CONDAM MI
LITI FECIT VE
NE MERENTI

Apud eundem ibid. pag. 722. 2.

Neapoli apud Spataphorum.

D. M. C. AELIO

QVI SI TANTILLVM QVERELARVM IN CON-

CONNVBIO LIQVISSET LACRIMARVM
TOT IN MORTE NON FVDISSET
CRISPA CON.

Et penes Ausonium, Epigram. ad Crispam:

Deformem quidam te dicunt, Crispa: at ego istud
Nescio: mihi pulcra es: iudice me satis est.

Atque in Pictur. Crisp.

Et quam Nolanis Capitalis luxus inusit,
Crispa tamen cunctas exercet corpore in uno &c.

Dicendum ergo Crispis-pidis, quod cognomentum in masculos quandoque irrepsisse compertum habetur priscis temporibus: Romae siquidem in Regione Transtyberinâ, in cujusdam domunculae pariete sic legebatur, teste Mazocchio Epigram. Antiq. Vrb. pag. 52. versâ:

D M S

C. MARIO EVTACTO. T. FLAVIVS CRISPIS
AMICO KARISSIMO FECIT

Itaque Laelia Crispis eo pacto, quo AELIA PARTHENIS. CLAVDIA HELPIS. PVBLIA HELPIS. ANNIA CIPRIS. CLAVDIA PANNICHIS. DOMITIA PIERIS. INSIDIA CHRISIS apud eundem Mazocchium, à quo uno & haec alia suppeditantur ejusdem moduli, flexus, aut terminationis cognomina: IVLIA ELPIS. STACCIA HELPIS. CONSIDIA HELPIS. TREBIA SOTERIS. AVIDIA SOTERIS. IVLIA PYRALLIS. SAPPIA PIRALLIS. TEVTIA ELEVTERIS. VLP. ANTIOCHIS CLODIA DAPNIS. CLAVDIA LEONIS. CLAVDIA PHOTIS. ATTILIA MOSCHIS. IVLIA PIERIS. IVLIA THAIS. IVLIA CHRISTIANTIS. CALPHVRNIA ATHIS. HELVIA NEREIS. DARDIA CYTERIS

RIS. CASSIA MOSCHIS. CATILIA THETIS. DVODINA CYNTERIS. SABAVDIA DORIS. VITVLINA TYRANNIS. His affines commemorat innumeras Gruter. praecipuè quas pag. 592. 1. 809. 7. 1550. 1. recenset, ac sunt AELIA CAENIS. AELIA HYMNIS. AELIA HELPIS; quibusque has tres alias adiicere lubet è multis, quibus Excell. D. Gaspar Alterius exornat elegantissimas magnificentissimasque aedes, in nuperâ Vineâ ad S. Crucis in Hierusalem excitatas: LVCCIA HELPIS. FLAVIA ATHENAIS. VLPIA SIGNORIS. At

SEXVS, qui ipsi semper nomini tacitè atque necessariò cohaerens, consequenter ex ejusdem nominis appositione illicò sese manifestat, quâ ratione hic subjungitur, ubi ab ipso nomine ter foemineus indicatur? Si Aelia inquam, si Laelia, si Crispis muliebrem sexum per se monstrant, quo jure noviter sexum huc inducere, & quod magis urget, masculinum, foemininum, utrumque simul ita inculcare: *Nec Vir, nec Mulier, nec Androgyna*? Ita nè Inscriptorem nostrum caecutisse arbitrabimur, ejdemque exprobrabimus, quòd incogitanter ista congesserit? Minimè verò; sed consultò fecisse omninò statuendum arbitror, ut scilicet, post propositam ab initio hanc Aeliam Laeliam Crispidem, tanquam album, in quod tota subsequens difficilimorum, repugnantiumque verborum artificiosa series tenderet, immediate his tribus verbis sequentibus, praecisèque sexum (indefinitè licet) connotantibus, filum penè Ariadnaeum porrigeret, quo exitus hoc in Labyrintho deprehenderetur. In hac enim ancipiti triplicis sexus repetitione totam vim ac virtutem dissolvendi Aenigmatis sitam esse, constantissimè censeo. Nam si nullatenus discerni potuit ille partus (cui, si foemineus extitisset, hoc nomen decernebatur) num foeminei scilicet, num masculini, num mixti fuerit sexus; necessariò concludendum est, quod fuerit ἔμβρυον, sive ante quadragesimum diem violenter abortus erupèrit, sive

pau-

paulò post septimum conciderit illa concretio sanguinis, quam genituram vocant, atque ita in verbo OMNIA, hoc est in quocumque ex tribus sexibus id potentiâ admittatur, quod actu de iis negatur; propterea verificetur quod superiùs dictum fuerat: *Nec vir, nec mulier, nec androgyna*, ut antecedenti capite satis ostensum fuit.

AETAS è contrà frequentissima est antiquis in Lapidibus. Sexus enim rarenter, tuncque solùm apponitur, quum defuncti nomen haud memoratur, seu, si memoratur, aliquo condecoratur additamento, ut VIRO BONO. FOEMINAE MIRAE FIDEI. FOEMINAE INNOCENTISSIMAE. FOEMINAE INCOMPARABILI &c. Aetas verò non item; quae simpliciter per has abbreviatas notas, V. Seu VIX. Seu etiam integrè VIXIT ut plurimùm declaratur, mensibus necnon diebus quandoque additis. Hic autem scitissimè triplex illa enunciatur, quae principium, medium, finemque aetatis complectitur, Pueritia videlicet, Iuventus, Senectus. Etenim quum iste Aborsus ne ullo quidem momento lucem aspexerit; quo tempore vixerit, non erat praefiniendum, sed indefinitè innuendum per illos tres terminos, Pubertatis, Iuventutis, ac Senectutis, quorum nullum tamen attingere licuit non natae Laeliae, ideoque, ut supra dictum est: *Nec Puella, nec Iuvenis, nec Anus*; etsi haec Omnia percurrere, dimetirique potuisset aetatis spatia, si una vix vivendi hora ei obtigisset, vel virilitatem, aut senium explevisset, propptereaque vulgatâ illâ Scholasticorum distinctione, potentiae ad actum non reductae, *Sed Omnia*. Quin immo vixit, diuque vixit Aelia Laelia, si vota sibi suaviter adblandientis Agathonis inspicias. Habes apud Poetam Puerum immaturo fato ereptum:

Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent;

Sed ibi Habes pariter ejusdem gesta tanquam adulti:

Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello

De-

Dextera, non illi quisquam se impune tulisset
Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.

CONDITIO, seu Qualitas, in his Marmoreis mortuorum Epigrammatis plusquam Aetas ipsa declaratur; ut quae de praestantiâ atque virtute defuncti Lectorem instruit, illiusque nomen effert, ac famam aeternitati commendat, ut Venusinus cecinit:

——— incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus, & vita redit bonis
Post mortem ducibus ———— ———

In nostrae verò Laeliae imperfecto foetu, ante tempus eiecto, quidnam aliud effingi, seu excogitari contigit, praeter illud, quod in foeminis principem locum obtinet, nimirùm Pudicitia, cujus quidem custodia praecipuum est infirmioris sexus coronamentum, cujus jactura virilem etiam laedit dignitatem, existimationique hominum officit? Inter Pudicitiam porrò, & Castitatem (si quid tamen ab inuicem distant, ut placet obfirmato huic nostro trium ubique vocum Assertori) hoc potissimum interest, quòd Pudicitia animum ab aestu turpium libidinum liberum, Castitas verò nedum liberum efficit, sed etiam remotum, ac proinde illa frequentiùs uxoriam fidem, haec virginalem constantiam respicit; religiosa ista, illa moralis tantùm. Hinc jure meritò in posticâ parte numismatis Iuliae Mesae Heliogabali aviae, in Musaeo nostro, hanc observo epigraphem: PVDICITIA. Et in effictâ Inscriptione GAPHVRAE C. LVTII FAVSTI VXORIS, quae Neapoli visitur apud Spataphorum, inter alia verba, quae manifestè Κακοζηλίας genere peccant, ipsa COELIBEM semet asserens, illibatae PVDICITIAE, toties frustrâ tentatae, se vindicem jactat. Et ex his moneatur Lector, Laeliam nostram potuisse quidem esse (quamquam nulla fuerit) Virginem, Nuptam, & Scortum, dum dicitur: *Nec Casta, nec Meretrix, nec Pudica, sed Omnia.*

MORS,

MORS, & ipsa triplicis generis enunciatur, ut ternarius numerus in nullo hic versiculo inconcussus non persistat. At verò ex innumeris interitus speciebus, tres nobiliores selegit Author, ***Famem***, quâ Sisigambis Arsamis, seu, ut Romanis insistam: quâ Agrippina Germanici: ***Ferrum***, quo Lucretia Collatini, quo Crispina Commodi: ***Venenum***, quo Antonia Drusi, quo Sabina Adriani extremum vitae spiritum emiserunt. Sic de uxore non ductâ, quia ante partum educta, attamen amissâ, quia ante conceptum promissa, blandiebatur sibi, seriò ludens, et felix, et infelix Agatho, nobile non minùs, ac triplex genus mortis in eâ sibi effingens, quorum quolibet abripi potuit, sed vitae expers, sublata non est; ideòque appositè: ***Sublata neque Fame, neque Ferro, neque Veneno, sed Omnibus.***

LOCVS tandem, in quo Cadaver situm, atque per τό HIC IACET indicari solitus, simili modulo, nec dispari numeratione trifariam distinctus hic apparere debebat in illis: ***Nec Cœlo, nec Aquis, nec Terris***; quae tria Orbem universum involvere, sicque nil aliud importare, quàm ***Nullibi***, idque manifestè conuinci à suo opposito ***Vbique***, strictè licet, superiori capite praefinivimus. Quare quum denuò is locus pleniùs exponendus occurrat, solutionem ibi assertam repetamus, atque eruditissimi Lectoris auribus, necnon argutissimi Authoris ingenio obsequentes,

——— ——— ——— *paulò maiora canamus.*

Dicamus itaque haec tria grandia Aetheris, Aequoris, Telluris nomina, ad triplex pariter obiectum in Laeliâ referri posse, Ad solam Animam, ad solum corpus, ad utrunque simul. Si ad solam Animam; exquò Corpus Laeliae ea nunquam informavit, neque consequenter post mortem, quam nunquam passa est, ad Elysios Campos, Insulas nimirum Fortunatas, quas defunctorum fuisse Coelum, delirantes commenti sunt Ethnici, deferri potuit. Ibi tamen otiosè exspatiari, atque perpetuâ quiete frui valuisset, ut iidem arbitrabantur, si verè efformati, sique ritè completi corporis ergastulo soluta, ad easdem

Sæpe tamen patris dulci tanguntur amore,
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite me in Tyberim, Tyberinis vectus ut undis,
Littus ad Inachium pulvis inanis eam.
Displicet hæredi mandati cura sepulchri,
Mortuus Ausonia conditur hospes humo.
Scirpea pro domino in Tyberim jactatur imago,
Vt repetat Grajas per freta longa domos.

In Terris tandem; Quoties antiquo Romanorum ritu, semiusta mortuorum ossa aut cineres sub asciâ dedicati, in urnis reponebantur, in excavato solo condebantur, in arcis sivè sepulturis recludebantur, ne insepulta cadavera immaniter esca fierent bestiarum dentibus, piscibus maris, et volatilibus Coeli, prout forte contigit putidae huic sanguinis concretioni; seu in cibum alitibus discerpendae subdio expositae, seu in Aposae nostrae torrentem, quarumcumque hujus Civitatis sordium colluviarium, ad liquescendum dejectae, seu tandem in demissis Casaraltae suburbanis agris asportatae, subtus conditae, certè in nihilum redigendae, ac penitùs resoluendae. Ita sanè *Vbique*, nempè vel *Coelo*, vel *Aquis*, vel *Terris jacere potuisse*, revera autem nullibi jacuisse affirmari posset de hoc praecoci foetu, eidemque non illepidè adscribi, quod de mortuo quondam sepulturâ non dignato, 10. Aeneid. cecinit Maro:

— — — — non te optima mater
Condat humi, patriòve onerabit membra sepulchro.
Alitibus liquere feris, aut gurgite mersum
Vnda feret, piscesque impasti vulnera lambent.

Quoties enim ita inhumati relinquerentur mortui, proiici feris, immo dari auibus dicebantur, quare Lucanus:

—— — — — Lybicas, en nobile corpus
Pascit aues, nullo contectus Curio busto.

Et Augustus, cuidam pro mortuo sepulturam poscenti respondit: *jam illum esse in avium potestate.*

Si denique ad utrunque, et ad animam, et ad corpus haec tria traducimus, nunquam aptiùs, nunquam veriùs prolatum est: *Nec Coelo, nec Aquis, nec Terris* actu jacere Laeliam, quae virtualiter *Vbique* jacere potuisset. *In Coelo* respectu Animae, quae post quotidianam perduellis corporis luctam, ab ipso tandem per mortem soluta, ad Coelestem Patriam (utinam verò tam piè eruditus Agatho) revocata, ibi denique jacuisset, hoc est quievisset. *In Aquis, in Terris* respectu corporis, quod cùm Coelum assequi nequiuisset, Globum istum Terraqueum tandiu tenuisset, donec mortalitatis fato in illud principium, quo conflatum fuerat, perpetuò sese commixtum, ac resolutum conspexisset. Seu tandem *nec Coelo*, quia Laelia non fuerat per ἀποθέωσιν, superstitiosè non minus, ac dementer, Sabinae, Faustinae, seu Paulinae attributo, per aera pavone vecta, interque Divorum numerum relata. *Nec Aquis* denique, *nec Terris*, quia iuxta Casaraltae suburbanam Villam, situ imam, neque ab aquis immunem, condita, cjus cineres facilè à percurrentibus undis abripi potuissent, & communem utrique Elemento tumulum nancisci, ut aliàs evenisse à primis legum conditoribus non ignoratum, ac animadversum est; à Paulo nimirum lib. pr. receptar. sentent. De sepult. & lugend. tit. 21. apud Cujacium pr. tom. pr. necnon postmodum ab Imperat. Antonino in l. pr. C. de relig. & sumpt. fun. &c.

Enu-

Enucleantur accuratiùs
obiter dicta
in explicanda secunda parte Inscriptionis,
quae refertur,
ad Lucium Agathonem Priscium.

Caput V.

QVoad secundum caput, hoc est, quoad Personam, quae Inscriptionem posuit, non omnes nec eaedem requiruntur qualitates, quas Personae, cui ea ponitur, omninò deberi, ac proinde nostrae huic Laeliae plenè fuisse tributas, antecedenti capite fusè demonstravimus. Non inquam Aetas, non Conditio, non Mors, quae tria defunctum utique, non verò Inscriptorem decent; sed potiùs Nomen ipsius, Ejusdem cum sepulto Adhaerentia, Moeroris significatio, Tumuli Designatio, utpotè quatuor potiores qualitates ex innumeris, quae Inscriptori adscribi consueverunt. Illa siquidem, quae utplurimum ac praecipuè apponuntur, solent esse sepulchri spatium seu mensura, per illud vulgo: IN. FR. P. &c. IN. AG. P. &c. Admissio, aut exclusio haeredum ab eodem tumulo, per id pariter vulgatissimum: H. M. H. N. S. quorum utrumque respexit Horatius.

Mille pedes in fronte, trecentum Cippus in agro
His dabat: haeredes monimentum ne sequeretur.

Conditiones seu onera injuncta, ac legata eroganda, quà in annuam sportularum distributionem, quà in comessationes, atque potationes supra tumulum agendas. Publicas in Lavationes gratuitas, quarum quidem egregium specimen exhibet noster Bononiae celeberrimus lapis in aedibus nobilissimorum

Patri-

Patritiorum de Albergatis: IN HVIVS BALINEI LAVATION. H. S. CCCC. etc. In effusiones optimi vini, odori olei, florum, atque rosarum supra cinerarium, ad velocem corporis nostri fluxum connotandum, seu potiùs ad ver perpetuum animae inaugurandum; ut tria praecipuè vulgata testantur antiqua marmora, in hujus solemnitatis argumentum ab Authoribus cunctis recensita, quod sic rythmis ab Ausonio perstrictum est:

Sparge mero cineres, & odoro perlue nardo
Hospes, & adde rosis balsama puniceis.
Perpetuum mihi ver agit illacrymabilis urna,
Et commutaui secula, non obii.

Alia denique id genus, jureque hic ommittenda, tanquam huic vacuo, inani, ac penitus efficto conditorio superflua. Reliquum est igitur praedicta quatuor singillatim (ut superiùs actum cum Laeliâ) perpendamus. Et primò apparet

NOMEN. Est autem illud triplex: *Lucius Agatho Priscius*, praenomen, nomen, & cognomen Inscriptoris nostri. *Lucius* est praenomen, ita saepè literatis in Lapidibus memoratum, ut nullum poenè frequentiùs mihi occurreret, non modò alienas apud exteros epigraphes, lustranti, verùm et nostras tantùm inspicienti: atque ex numero non admodum magno earundem, quae apud nos exstant, decem et quatuor hoc praenomine insignitas observavi. LVCIO AELIO AVRELIO COMMODO. LVCIO FVRIO SERO. LVCIO SEPTIMIO BERENICIANO. AVRELIO LVCIO M. SIRSIO LVCII FILIO. LVCIO VMBRICI SECVNDO. CAIO TREBIO LVCII FILIO LONGO. LVCIO MVNIO GNOMONI. LVCIO TVLLIO CLEMENTI. LVCIO TVLLIO EPYTINCHANO. LVCIO AIATI. L. LICINIO PRISCO. L. PVBLICIO ASCLEPIO. L. CASSIO VERO. L. CELLIO VESTALLO dicatas; praeter nouem, quas ex suis pariter paucis suppeditat Mutina, viginti vix

vix milliaria à Bononiâ distans, & hae sunt:

VIVVS VIVIS FECIT
L. LVCRETIVS L. L. PRIMVS
VESTIA. SIBI ET
L. LVCRETIO L. L. ROMANO
VESTIAR. ET
DECIMIAE L. L. PHILEMATION
ROMANI MATRI

MEMORIAE CLA. FOEM.
L. PEDVCEAE IVLIANAE
MORIB. NATAL. AC PVD.
PRISCIS INLVSTRIBVSQVE
FOEM. COMPARANDAE QVAE
VIXIT ANN. XIII. D. XLVII.
CVM MARITO FECIT MEN. V.
D. XX.
L. NONIVS VER.

L. LICINIVS L. L. PLINTA
L. CLODIVS L. L. HOSPES
MAG. VIC.

VETVRIA L. F. MARCELLA
CORNELIO BENIVOLO
SODALI
IN FRONTE P. XII
IN AGRO P. XIIII.

L. SCANTIO CASTO
SCANTIA OLIMA

Quas omnes ſicut operosè congeſſi, ſic tu ne gravatè percurras, humaniſſime Lector, in fidem uſitatiſſimi hujus apud nos antiquitus praenominis. Quapropter nil mirandum, quod ita obvium, noſtro obtigerit quoque *Agathoni*, antepoſitumque fuerit nomini proprio, à progenie Agatâ, ſeu Agathoniâ, ſeu mavis Agathonicâ derivato; quam pariter Gentem in agro Felſineo domicilium ſedemque habuiſſe, inſigne fragmentum in Villâ S. Benedicti, Bononienſis Diœceſis, ac Territorii, aliàs repertum, nunc in Muſaeo noſtro inſtar Theſauri ſervatum, teſtatur:

[illegible]GATONIS. P.
[illegible]ONIA
[illegible]

cuique mirificè favent, ac egregiè adſtipulantur finitimae nobis hìnc inde, vigeſimoque vix lapide à Bononiâ diſtantes Civitates: Ab Occidente ſcilicet Mutina (de quâ ſupra) duobus hiſce Oſſuariis, Agathoniam eamdem Gentem, ſeu familiam per has regiones floruiſſe, deſignantibus:

CLAVDIA PLAVTILLA SIBI
ET
Q. VERCONIO AGATONI
MARITO OPTIMO
ET LVCIFERAE LIBERTAE
IN FR. P. XX. IN AGR. P. XX

[illegible] . [illegible] D. M.

D. M.

AVRELIAE
AGATHONICES
SABINIANVS
DOMINAE
B. M.

Ab Oriente verò Forum Cornelii, vulgò Imola, in ripâ Vatreni fluminis, hunc titulum praeferens, cuidam arulae pervenustae incisum, jussuque Eminent. Cardinalis Donghi, religiosissimi Antistitis, in Episcopali Praetorio tunc temporis publicae luci donatum:

M. AVR. MONTA
NI SACERDOTIS
LIBERI ET ECATE
AVR. AGATHE FIL.
ET HIRTIA CAPRIA
CONIVX CVRAGENTE
CALPVRNIO
FAVSTINO R
GL. PR ...
GEN...

Cui consonat haec, paucis abhinc annis Veronae reperta, atque in Musaeo Muscardo, pag. 72. memorata:

D. M.

C. CVRTIVS

AGA-

AGATHE MER
VIVIR SIBI ET
LOREIE PRISCI
LLE CONIVGI
MIHI CARISSIME
ET Q. CASSIO
VALERIANO ET
TORIAE OLYMPI
DI AMICIS CARIS
LOCA DVO ET CETERI
S QVE MEI VE

Immo hacc antiqua Romae, de quâ Apian. pag. 285. in fin.

D. M.

FABIAE AGATHAE L. FABIVS.

Siquidē intrà Galliae Cisalpinae fines non ita se coercuit haec Agathorum progenies, quin Romanā pariter in urbe latè propagatam ex infrascriptis marmoribus admiremur: Apud Mazocch. pag. 36. 3.

Propè arcum Sancti Viti in foribus cujusdam stabuli.

PAVLINO AGATHO
PHILOTATIO

Ex eodem Inscript. pr.

Apud Arcum eundem.

D. M.
AGATHONI
PATRI BENEMERENTI
FECIT AVRELIA FILIA
VIX. ANN. XXXXV.

Ex eodem Apiano, & è Castiliono pag. 15.

In Caesiorum hortis.

T. CAESIVS PRISCILLAE
L. HERMES POSTVMIANVS
SIBI ET CAESIAE ANAPHAE
CONIVGI CARISSIMAE
TI. CAESIVS AGATHO SIBI ET
CAESIAE PERSIDI CONIVGI
CARISSIMAE
T. CAESIVS TIT. FIL. SER. PRISCVS
VIX. ANN. II. MEN. VI.

Ex eodem, pag. 169. pr. & ex Aldo pag. 654.

In Via Ostiensi

In Basilica Sancti Pauli, in pauimento.

DIIS MANIBVS
SALLVBIO AGATHONI
SALLVBIA HELPIS
FECIT SIBI ET SVIS

LIBER-

LIBERTIS LIBERTABVSQ.
ET FILIIS FILIORVM POSTERISQ.
EORVM NE DE NOMINE EXIET

In ejusdem Ecclesiae porticu.

Q. CAECILIVS

FECIT SIBI ET CAECI
LIAE COSMIAE. L. CO
GNATAE CONIVCI DE
SE BENEMERITA
SYMPHORO L. PRIMO L.
PISONI. L. DIADVMENO L.
NISCENI. L. SYNTROPHO L.
NICARCHO. L. EPAPHRO
DITO. L.
PHILOPATRO. L. FORTV
NATO. L.
ERASTO. L.
ALEXANDRO. L. AGATHO
NI. L. MINO. L. MINO. L.
IOCVNDO. L. ROMANAE. L.
VRBICO. L. METHEN. L.
LIBERT LIBERTAE
POSTERISQ. EORVM

In Aede D. Mariae in Dominica.

OPT. MAX.

COEL.

COEL. AET. IOVI
IVNONI REGINAE
ET MINERVAE
DONVM DEDIT
PROPTER SAL. SVAM
M. MODIVS AGATHO

Ex Ald. pag. 256.

In eadem Vrbe, non indicato loco.

D. M.
FL. NATALIS. TI. F.
AGATHONICVS
CONIVGI. BEN. MER.

Ex eodem pag. 395.

In Domo Carpensium.

D M
LVCRETIAE
AGATHONICES
VXORI KARISS.
SAVFEIANVS
MARITVS
SIBI POSTERISQ EIVS
LIBERTI LIBERTABVS
POSTERISQVE EORVM.

E Cl. Reinesio in epist. pag. 336. n. 15.

Romae ad Aed. S. Mariae del riposo; in domo Alexandri della Casa.

SEX. POMPEI AGATHONIS PATRONI
ET SEX. POMPEI MARTIALIS
SEX. POMPEIVS EVTYCHIVS L.
PATRONO MERENTI
AREA COMPARATA FECIT
ET SIBI POSTERISQVE SVIS
IN FR. AD MONVMENTVM. M. LI
CINI ALEXANDRI P. XII. ET POST
IDEM MONVMENTVM P. XII
IN AGRO. A VIA P. XXIIX. S.

Et quae à Io: Zaratino Castellinio detecta, exscripta, et addita fuit annotatione M. S. ex Smetii exemplari, quod nunc penes me est.

Transtyberim in basi, apud Equitem Crescentium.

DIS MAN
MANILIAE
AGATHONIDI
VIX. ANN. XVI
C. BLANDIVS
CONIVGI SVAE
CARISSIMAE
ET BENEMER.
POSVIT

Vt alias

Vt alias extra Romam omittam, exempli causâ laudatam illam, de quâ Balarinus in Chronic. Comenſ. part. pr. c. 4. Apian. Ferret. et al.

Novocomi, ad S. Laurentium.

D M

ANNIAE AGATHONICES

VITA. BREVIS. LONGO. MELIOR. MORTALIBVS. AEVO
NAM. PARVO. SPACIO. FLORVIT. HAEC. ANIMA
BIS. DENOS. PERFVNCTA. ANNOS. SINE. CRIMINE. MORVM
VITA. BEATA. FVIT. SPIRITVS. ET. NITVIT
AT. PATRVM. MISERANDA. ETAS. ANIMA. CRVCIATVR
POENAQ. DE. LONGO. TEMPORE. LONGA. DATA. EST
DE. SENIO. LVCTVS. SENIVM. FLETV. RENOVATVR
VTRAQVE. RES. MORTIS. DVLCIOR. EXITIO
DAT. TAMEN. HAEC. PATRONAE. PIETAS. SOLATIA. FIDAE
IVGERA. QVOT. TERRAE. DEDICAT. HIC. TVMVLVS

E Caſtillion. pag. 22. Piccinell. pag. 43. 43.

In Lumaccio

MATRONVS SESIXTIVS AGATHON

Ex eodem Caſtellinio ibid. M. S.

Salerni

A. SERGIO
AGATHONI
A. SERGIVS

B. M.

B. M. FI

E Reinesio dicto suppl. ad Gruter. pag. 893.

Capuae è regione Castelli S. Petri.

L. VITELLIAE. L. L. MVSCHENIS
OSSA. HIC S. S.
M. VITELLIVS. L. L. AGATO
COLLIB. ET
VITELLIA. QVARTA FILIA.
ET. QVINTIO FILIVS
POSVERVNT
ET SIBI
VITELLIA. TERTVLLA
POSVIT

Ex eodem ibid. pag. 685.

Pisis.

DIS MAN.

L. OVINIO
AMANDO
FECIT
TERTIA AGATHONIS
LIBERTA FILIO
PIISSIMO

Ex Apian. pag. 59. 2.

Brixiae ad S. Agatham.

L VOLI.

VOLKAN. AVG.
P. ANTONIVS
CALLISTO VI. VIR.
AVGEL. C. CLOD. COMIC
ET P. POST. AGATHO
IDEM SPORT. DEDIC
ET IN TVTEL. H S
CCCC I. DED.
COL. IVVENT.

Placuit autem omnem movere lapidem Agathonico nomine signatum, ut perscrutaremur, an ejusdem Gentis Agathae, seu Agathoniae, quam Bononiae tunc temporis degisse jam constitit, status quoque, seu conditio, quae in Authoribus hucusque introspectis reticetur, ex aliquo saltem inscriptorum marmorum innotesceret. Nec sanè extra votum id contigisse crederem: ex hoc enim, quod postremo loco adduximus, non contemnendae qualitatis eam extitisse deducitur. Si enim ibi unico tantùm legato, unum supra quatuor centum sestertia Collegio Iuventutis Brixiensis assignare valuit Publius Postumius Agatho; haec summa (quae hodie vigintiquinque millia Scutorum pretium aequaret, ut ex computo Budaei, Vossii, ac aliorum; et ut nuperrimè de pari pretio ratiocinatur Cl. Spon in Voyag. d'Ital. de Dalmat. etc. ad antiquissimum Bononiense supra laudatum balneum) non infimae conditionis Agathonem hunc fuisse evincit. Fidem insuper faciunt, et augent alia huic antecedentia marmora, praecipuè quod M. Aurelium Montanum, Sacerdotali dignitate conspicuum, Aureliae Agathae patrem memorat; alia verò quae Agathonios servorum, atque libertinorum catervâ stipatos exhibent, eorumque nonnulla Aureliis adfinitate conjunctos designantia. Aurelios autem, etsi plebejos, consulatus tamen dignitate quondam insignitos claruisse, testatur M. Aurelius Scaurus, anno ab V. C.

DCXLV.

DCXLV. Consul suffectus Hortensio; praeter M. Aurelium Cottam, unà cum L. Lucinio Lucullo anno DCLXXIX. Consulem, ejusque C. Aurelii, qui à Cicerone utì disertus laudatur in Bruto, fratrem. Haec autem satis fusè congesta pro Agathonis nomine, Cognomen *Priscii* absumant, atque explicationis vices suppleant, quum nullum adhuc ejusdem nominis, immo cognominis monumentum adinvenerim, nequicquam lustrato, et expilato, neque semel, Grutero. Vix Sigonius de Nom. Rom. cap. 882. hoc ita inscriptum exhibet: TERTIAE PRISCIAE IONIA SALVIA. vixque alterum accerrimus lapidum censor Reines. in epistol. pag. 338. 5. et in Opere magno 674. ubi FRISCIVM in PRISCIVM reformandum putat, et recoquit. Quapropter tanta apud Authores nõn minus PRISCIORVM caritas, quàm PRISCORVM copia, apud nos Bononienses praesertim, qui supra dictos quatuor numerare possumus, in aliquam (si fas esset) suspicionem me adduceret, PRISCIVM, loco PRISCI ex antiquo potiùs marmorario in autographo excidisse, quàm quod tot Transcriptores erraverint, praecipuè Turrius, Draudius, Gevartius, qui antiquissimum Archetypum nostrum propriis oculis conspexisse, maturè se observasse, fideliterque descripsisse testantur.

ADHAERENTIA cum Defuncto multiplici de causâ contingere potest. Etenim Maritum conjugi, conjugem marito, Filium patri, patrem filio, Fratrem fratri, seu sorori, Sororem sorori, seu fratri, Dominum servo, Servum domino, Libertum patrono, Haeredem defuncto, Amicum amico hoc semper, tum pietatis, tum amoris, tum necessitatis postremum munus sive offitium persolvisse quotidie, his in memoriis conspicimus. In nostrâ verò, è triplici vinculo, seu nexu Adhaerentiam deduci clarè liquet, quò fit, ut Triplex iste vocum decantatus concentus in Agathone pariter resonans non perturbetur:

Conjugii nimirum, Amoris, Necessitatis, quorum altero,

immo eorum quolibet, simul etiam adstringi summoperè optabat futurus iste et Sponsus, et Amasius, et Propinquus, priùsquam ob inopinatum tetri ac incerti illius aborsus aspectum, Ternâ spe frustratus, statim is fieret, qui verè de se scriberet: *Nec Maritus, nec Amator, nec Necessarius*. Sive enim interpretemur illud verbum *Necessarius* pro propinquo, pro coniuncto, in quo sensu Festus: *Necessarii sunt, ut Gallus Aelius ait, qui aut cognati, aut adfines, aut in quos necessaria officia conferuntur praeter caeteros*. Et Nonius Marcellus: *Necessitas adfinitas: unde et hoc jure conjuncti necessarii appellantur*. Sive exponamus pro illo haerede, qui volontario opponitur, ideòque ad illius differentiam necessarius appellatur, quia sive velit, sive nolit omnino adire tenetur, ut l. si servus communis et l. ult. §. ult. ff. de vulg. et pup. l. servus alienus §. qui fideicommissam ff. de haered. instit. l. si optio ff. de opt. vel elect. legat. l. verba haec ff. de condit. Instit. quod libenter tamen in Agathone, tribus nominibus praedito, nec non Gentis nobilitate conspicuo, non admitterem; nullatenus adaptari potuit ipsi, ab exoptatâ jam Laeliorum cognatione infeliciter exturbato, et à scriptis hujusce stirpis bonis, Dotis, seu relicti nomine, in eum obventuris, obliterato. Quapropter, quamvis intrinsecè triplici jacturae suae perturbatione (sicque hoc tantùm casu appositè *sed Omnia*) affici potuerit; potuerit, inquam, dolere natam non fuisse Laeliam, laetari solùm quod ejus funus non suspexerit, lugere haereditatem, seu dotem sibi praereptam; extrinsecè tamen ei nunquam licuit seu laetitiae, seu

MOERORIS ARGVMENTA, mortuorum tantùm funebriis consentanea, publicè testari. Temperare, inquam, debuit Agatho ab insigniis doloris in Lapide, qui abstinuerat à maestitiae characteribus in corpore, ne jactaret perenni marmore questum, quem propiore moeroris causâ non prodiderat. Et quidem doloris notas pro recenti funere, et multiplices, et frequentatas apud Priscos ferè omnes fuisse legimus: stolam nimirum

mirum ad talos usque producere, vestimenta scindere, ore pallescere, crinesque, foeminarum in morem, per colla dimittere, prout in morte Drusi Pedo Albinovanus:

Vidimus attonitum fraterna morte Neronem
Squallida promissa flere per ora coma.

Eandem comam cinere pulverève injecto turpiter foedare, ut penes Virgilium 12. Aeneid:

Demittunt mentes, it scissa veste Latinus
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.

Et Catullus in Nupt. Pell. et Thet.

Canitiem terrae, atque infuso pulvere foedans.

Seu furiosiùs cum Statio Syluar. lib. 5.

— — — injustos rabidis pulsare querelis
Coelicolas:

Seu cum Ovidio eleg. 5. lib. 1.

Et rigido teneras ungue notare genas:

Vel cum Homer.

— tondere comam, et lacrymis respergere vultus.

Sive tandem aliis modis, qui notiores sunt, quàm ut dici debeant, et qui potissimùm ab Authoribus funerum Romanorum, aliorumque Populorum adducuntur, ac exponuntur; haec ut constet, quàm apposité appelletur Inscriptor noster: *Neque Moerens, neque Gaudens, neque Flens.*

TVMVLI DESIGNATIO tandem hic ob Numerum, ob Magnitudinem, ob Congruentiam incomparabiliter excellit. Ob *Numerum*, quia triplicis mortis generi respondet: ut enim ibi mors infligi potuit Fame, Ferro, ac Veneno, sic Moles, Pyramis, et Sepulchrum mortuae Laeliae excitari potuisse effingitur. Ob *Magnitudinem*, quia si Agrippina Famem, Lucretia Ferrum, Antonia Venenum generoso interitu, ut jam diximus, commendarunt, debuit etiam tali tumulo donari haec foemina, (morte tamen ipsius suppositâ) qualem Ro-

mano-

manorum Procerum decus, ac majestas exposceret: Molem quae Adriani cineres; Pyramidem, quae Scipionis corpus; Sepulchrum, quod ossa Romuli tam magnificè quondam servaverunt. Debuit, inquam, sublimi Caenotaphio decorari, quae non vulgari fato occubuisse poterat. Humile siquidem Sepulchrum illustri cadavere indignum se praestat; unde Otho, ob exiguum Lapidem eius memoriae inscriptum, à Vitellio irridetur. Galba quoque irridendus, ob proprium in priuatis hortis ab Argio excitatum. Ob *Congruentiam* demùm, quâ sumptuosa haec eadem tria aedificia terno mirabiliter adaptari poterant loco, quo jacere potuisset Laeliae cadaver, si in rerum naturâ extitisset: *Coelo*, *Aquis*, *Terris*. Coelo siquidem apprimè tribuitur Pyramis, quae excelsâ altitudine Coelum ipsum petere, sydera scandere à Poetis dicitur, iuxta illud Propertii lib. 5.

Nam neque Pyramidum sumptus ad Sydera ducti.

Aquis perbellè aptatur Moles, quae pro aedificiis propriè usurpatur, quae ad ripas fluminis, ad littus maris, immo in Alto, in ipso profundo excitantur, cum verè nil aliud sit ipsa, quàm illud *pilas in mare jactare*, *et super eas ædificare*, de quo I. C. in l. Ergo si insula ad fin. ff. de acquir. rer. dom. quare Ovidius epist. 5.

Aspicit immensum Moles nativa profundum.

Virgilius lib. 9. Aeneid.

Qualis in Euboico Baiarum littore quondam
Saxea Pila cadit, magnis quam Molibus ante
Constructam iaciunt Ponto etc.

Horatius Od. pr. lib. pr.

Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum Molibus.

Et nuperrimè, propriissimè, uti semper Cl. Spanhemius differt. 2. pag. 108. *Provincias jacentes erigere, ductus in iis aquarum, derivatione fluminum, Moles oppositas fluctibus provide, et sollicitè*

cura-

curare. Terris optimè adscribitur Sepulchrum, quod potiùs quàm altitudine, seu profunditate, solâ latitudine ita per campos dilatabatur, ut oportuerit, ad tantam cohibendam libertatem, terminum stabilire, ac declarare per adductum superiùs illud: *In agro, etc. In fronte, etc.* Athenisque priùs certis legibus fuisse designatum ac circumscriptum, testatur Cicero 2. leg. et Plato in Repub. lib. 2.

Tot igitur, adeòque magnificis aedificiis (divisim tamen, ut aliàs distinctum, designatis in illo *Sed Omnia*) aeternam grati animi sui erga Laelianos amplitudinem, Orbi universo, cuicunque saeculo testatam cupiebat Agatho, qui quum mente non sensu, imaginatione non oculis perceperit cui monumentum poneret, rectè de se testatur, *Scit, et nescit, cui posuerit*, ac noctilucarum in morem, Veritatis lucem et occlusit et aperuit; adeò ut seros Posteros eluserit, qui hunc eundem, Aram ignoto Deo excitasse, hoc Aenigmatico, et Sepulchrali Programmate arbitrarentur.

Ex prae-

Ex praehabita Inscriptionis Expositione,
praesertim gemino antecedenti Capite
aucta,
dignosci, Lucium Agathonem Priscium
omnigena rerum scientia fuisse non minus excultum,
ac Inscriptio ipsa
omni eruditione referta appareat.

Caput VI.

QVamuis ex praescripto olim Platonis lib. 2. cap. 3. de Repub. vnicae tantùm Arti animum adiicere quisque debeat; vix enim, ut lib. 8. Leg. Philosophus idem testatur, exactè in duplici Arte vel Instituto exerceri potest humana natura; iure tamen ambigendum est, num praestet uni tantùm Facultati se totum mancipare, an in pluribus ita versari, ut propositae extemplo quaestioni consonum aliquid ab ingenio, veluti è promptuario, promere valeamus. Neque verò tantum mihi tribuo, ut expedire audeam, quid statuendum sit; sed verò versatilis intellectus homines non mirari nequeo, dum eos prospicio, tanto semper plausu excipi consueuisse, ut eorundem comparatione vilescere quodamodo, flocci que fieri is videatur, qui de sibi delectâ, apprimèque cultâ Disciplinâ, tanquam Oraculum, consulitur, eminensque communi calculo celebratur. Peculiarem ergo hanc sibi Inscriptionum peritiam aenigmaticâ nedum structurâ, sed etiam exquisitâ eruditae elegantiae varietate exornandam fore, non ex vacuo hic agnovit Agatho, ne quod de mero Philosopho, quod de puro puto Leguleio audacter vulgò circumfertur, de ipso pariter in conscribendis simpliciter, ac sine ullâ exornatione

Lapidibus quis blateraret. Quapropter nil mirandum, si tam variis eruditione scatentium verborum flosculis admirabilem hujus Inscriptionis telam, veluti acu distinctam, contexuerit, et modò hujus, modò illius Scientiae peritissimum sese praestiterit. Hinc naturalium rerum scrutatorem eum existimarunt Barnaudus, Gevartius, Veranus: Chemicum idem Barnaudus, Kircherus: Philosophum Turrius, Licetus: Meteorologum Marius Michaelangelus: Mithologum Vitus: Cabalae Sectatorem Baroldonus: Musicum Ferronius; Bottanicum Montalbanus: Iurisperitum Bordocchius: Castitatis Encomiasten Mengolus, et quid non Authores reliqui? Quanquam enim horum nullus verè haberi, legitimèque vocari queat Inscriptor noster, quâvis tamen Scientiâ et Arte praeditum, ut monebam, illum arguunt, tacitèque praedicant, tum vis occulta, tum numerica distributio verborum mirabilium, quibus incomparabiliter excellit, cunctisque praestat Inscriptio.

Etenim si occultam vim verborum, quibus eam compactam cernimus, scrutari lubeat, quis non videt, quà historicam eruditionem, quà philosophicam doctrinam Agathonem potissimùm caluisse? *Historicam* eruditionem in illis verbis: *Nec Casta, nec Meretrix, nec Pudica*; foeminis enim, ut innuebam, hoc potissimùm honestae vel inhonestae famae argumento laus vel probrum accedit; proinde Lucius ut nomen Laeliae, prout expetebat, aeternitate donaret, *nec Castam*, *nec Meretricem*, *nec Pudicam* voluit, *Sed Omnia*, atque adeò inlustrium foeminarum conditioni Laeliae sortem aequavit. Quot enim foeminae nominis jacturam, non secùs ac formae, decedendo fecissent, nisi vel à servatis Gynecaeis, vel à frequentatis lupanaribus famam essent adeptae? Hinc Castitatem praecipuè Syritae, Dryadis, Marciae: Flagitia Crispae, Faustinae, Messalinae: Pudicitiam Penelopes, Artemisiae, Portiae monumenta testantur. Neque minùs de Historiâ meretur Agatho, dum ait: *Neque Fame, neque Ferro, neque Veneno*, quae prae caeteris Famem

mem Sisigambis, Antoniae, Agrippinae: Ferrum Calphurniae, Lucillae, Chrispinae; Venenum Liuiae, Sabinae, Sophonisbae in memoriam redigunt. Congruunt ulteriùs Historiae verba illa: *Nec Coelo, nec Aquis, nec Terris,* quae praeter alias ad Coelum stultè evectas Matidiam, Paulinam, Marinianam: Aquis praefocatas Annam, Sappho, Theoxenam: in Terris sepultas adhuc viuas Oppiam, Vrbinam, Minutiam compendio referunt. *Philosophicam* Doctrinam rursus respicere videtur Author in iis verbis: *Nec Coelo, nec Aquis, nec Terris,* quae ea omnia connotant, quae de animâ nostrâ scrutati quondam sunt Epicurei, Academici, Stoici, Peripatetici, atque id genus si qui sunt alii. Nam si voluit Democritus animam Ignem esse, si Diogenes Aerem, uterque involvitur (ut natura aenigmatis patitur, immo postulat) in illo: *Nec Coelo:* nam Ignis sphaera in Coelo antiquitùs statuebatur, ratione continentis ad continens, per metonymiam; Aerem verò nomine Coeli appellari, communiterque pro Coelo usurpari perspicuum est, ut aliàs dictum. Si scripsit Hippon eam potiùs fuisse Aquam, si Epicurus Terram, neque tamen explicitè, sed neque minus impudenter (quum verè nullus tam hebes inveniatur, qui animam esse Terram dicere sit ausus) negando scilicet hominis immortalitatem, ita ut cum corpore ex Terrâ compacto ad Terram, tanquam ad suum rediret principium, en utrunque non obscurè quidem, prout unum et alterum ex superiùs explicatis, sed apertè expressum in illis: *nec Aquis, nec Terris.* Si denique est opinatus Empedocles, à quo non dissentit Plato in Timaeo, animam non unum tantùm ex praedictis esse Elementis, verùm ex singulis quatuor coalescere, ac unumquodque eorum esse, dum ait:

Terrea pars terras, pars undea conspicit undas,
Aethera divum Aether, vis ignea prospicit ignem,

Quatuor Elementa satis hic indicantur, si superiori methodo explicentur.

At verò si Numericam eorundem verborum Distributionem, quae in Triplici Concinnitate ubique mordicus servata apparet, contemplari lubeat, quis inficias eat, Agathonem nostrum, ob repetitum ibi toties Ternarium;

Quo nil divino sanctius est numero

ait Bocchius lib. 4. Symb. 106. omnigenâ rerum scientiâ excultum sese nobis praestitisse? Quodnam etenim fingi potest, aut excogitari obiectum, quamvis artes, et scientias, earumque partes vel munera attentè perquiramus, quod Trini numeri perfectione non gaudeat? Tria sunt omnia ait Aristoteles, lib. prim. de Coel. ipsumque Ter ubique renidet. Hoc ipse

—— —— —— *numero Deus impare gaudet;*

Quapropter Tria in sacrificiis offerre priscos Theologos, Triaque in cultu Dei antiquos Philosophos adhibere consuevisse, adorationem videlicet, thus, ac hymnum, fuit memoriae proditum. Hinc nullae emittebantur preces, nulla praegustabantur, fundebanturque libamina, quae Tertiò non repeterentur, Tertioque die, Trimestrive spatio non peragerentur, prout hisce verbis adstruit Nicomachus: *Ter libant, et Ter sacrificant qui vota sua petunt à Deo confirmari*; vnde Theocritus:

Ter libo, Ter et haec pronuncio mystica verba.

Sic in purgationibus Ter spargebantur, qui lustrationis aquâ irrorabantur, ut apud Virgilium:

Idem Ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, et ramo felicis olivae.

In lustrationibus quinimmo arvorum Ter hostiae circa fruges agebantur, ut apud eundem:

Terque novas circum felix eat hostia fruges.

Idem in ligationibus, ut ibi:

Terna tibi haec primum Triplici diversa colore
Licia circumdo, Terque haec Altaria circum
Effigiem duco.

Idem

Idem servabatur in sacris feralibus, sic Ovidius:

Ecce Anus in mediis residens annosa puellis,
Sacra facit tacitè, nec tamen ipsa tacet;
Et digitis Tria thura Tribus sub limine ponit.

Ita et in mortuorum funeribus, ut in Pallantis inferiis Maro:

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos; Ter maestum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Potuit ergo Tergeminos litandi ritus, religiosè à Priscis servatos, non ignorare religiosus itidem Tergeminorum Verborum in Aeliano Lapide Constructor; nec ipsum fortasse latuit, inter Numina, quibus hoc ritu immolabant Ethnici, fuisse Triadis servatam semper rationem, quando nimirum Tribus Regnis, in quae divisus Orbis, Tres pariter diuos fratres imperasse, rati sunt. Iovem Coelo, Neptunum Mari, Plutonem Inferis. Triplici propterea symbolo, eoque Trifariam efficto, unicuique eorum adscripto; Trifido nempe fulmine Iovi, Tridente Neptuno, Trifauce Cerbero Plutoni. Quando Mercurio alatum galerum, alatos cothurnos, alatum caduceum: Quando Veneri frondes in myrtho, flores in rosis, fructus in pomo decreverunt. Marti loricam, ensem, clypeum: Cereri spicas, papavera, facem: Baccho Thyrsum, hederam, tygrim, trinaque id genus caeteris attribuerunt. Quando Tres Deas de pulchritudine certantes, Tres mortalibus beneficas Charites, Tres scelerum ultrices Furias, Tres nauteis infensas Syrenes, Tres humanum genus perturbantes Harpias, Tres Parcas denique vitae nostrae nectentes stamina enumerarunt.

Verùm non in Nominibus modò mysticus iste numerus spectandus occurrit, sed ulteriùs se obtrudit inquirentibus intrà Orbem. Si quis videlicet Coelum hoc nostrum sub Triplici differentiâ contemplaretur: prout est stellatum mobile, sic Firmamentum; prout est mobile carens stellâ, sic Nona Sphaera; prout est immobile sine stellis, sic Empireum. Si Coe-

lum ipsum ad Terram nostram relatum, Tribus dimensionibus, longitudinis nempe à summo ad imum, latitudinis à dextro ad sinistrum, altitudinis ab ante ac retro dimetiretur. Quando in Sphaeris triplicem respiceret statum, centri, dimetientis, circumferentiae. Triplicem in Planetis circum, deferentem, aequantem, epicyclum. Triplicem in iisdem gradum, retrogradationis, stationis, directionis.

Quum in Elementis Tres expenderet qualitates, quòd scilicet aliud sit leve tantùm, ut Ignis; aliud grave tantùm, ut Terra; aliud leve simulque grave, ut Aer, ut Aqua. Quod eadem Elementa, respectu loci generationis quo se contingunt, Ternum non excedant, quod Aenigmatista noster observare videtur; dum Aerem, Aquam, et Terram tantùm memorat, ignemque omittit. At verò Sophistae, qui Tria solùm agnoscebant Elementa, Aerem reticebant, quem non Elementum, sed gluten Elementorum, quo caetera componebantur, appellabant; sed in iisdem Tribus Tria iterùm considerabant, in Igne substantiam ipsam corporalem ignis, splendorem ejus, ejusque calorem, seu, ut placuit Aristoteli, flammam, lucem, carbonem: In Aquâ, fontem, fluvium, mare: In Terrâ, montem, clivum, planitiem. Sed et Prisci Tres Mundos recensebant: Primum ultramundanum, Secundum coelestem, tertium sublunarem: Huncque sublunarem, in quo degimus, Tribus praecipuè adeò regi, conservarique, ut ipsis deficientibus, periret et ipse; foecunditate inquam, prole, atque amore.

Trismegisti olim cognomine donatus est Mercurius ille, quem ejusdem nominis Numini nepotem fuisse fabulantur; atque hoc ideo quia Sapientiâ Philosophos, Religione Sacerdotes, Imperii felicitate Reges antecelleret. Ego Agathonem nostrum, auspicatissimi hujusce Ternarii Cultorem eximium, Trismegistum, idest juxta nominis significationem, Ter maximum dicerem, hoc uno argumento, quia mordicùs numerum illum scribendo retinuerit, quo omnia subsistere deprehendebat; sive

Tria

Tria conspiceret esse temporis spatia, praeteritum, praesens, futurum; Tria magnitudinum intervalla, longitudinem, latitudinem, profunditatem; hinc Tres continuas quantitates, lineam, superficiem, corpus: Tripartitum esse locum, infimum, medium, summum: Tripartita bona, utilia, honesta, delectabilia: Trifariàm in nobis reperiri amicitiam, aliam, quae ex virtute, aliam quae ex remuneratione, aliam denique quae ex voluptate procedit. Tres actionum nostrarum esse causas, Tria agendorum initia, Tria ad omnem effectum concurrentia: Tres assignari animae nostrae potentias: Tres iterùm eidem animae corpori conjunctae, irascentiam quam in corde ponunt, concupiscentiam quam in jecore, seu splene, rationem quam in cerebro, tanquam in arce mandatrice operum statuerunt.

Quin et fortasse distinxit Tria in unoquoque ex creatis, Substantiam, formam, ordinem: Mensuram, numerum, pondus: Potentiam, obiectum, actum: Esse, sic esse, ad aliquod esse. Triplicem immo substantiam, Materiam, formam, compositum. Tria generationis atque corruptionis principia, materiam, formam, atque efficientem. Tria Sapientiae genera: Logicam, Ethicam, Theoreticam; quarum quamlibet Trifariam iterùm partiri: Logicam in Grammaticam, Rethoricam, Dialeticam: Ethicam verò in Monasticam, Oeconomicam, Politicam: Theoreticam tandem in Physicam, Mathematicam, Theologiam: Tria Rhetorices genera, Iudiciale, Demonstrativum, Deliberativum: Tribus constare Dialeticam, Definitione, Diuisione, Argumentatione: Tribus denique coalescere omnem Dialecticam ratiocinationem, majori extremitate, medio, minori extremitate. Sed neque plura praecipuè quàm Tria dari Poematum genera; non ex pluribus, quàm ex Tribus formari graphidem; non pluribus quàm Tribus constare Picturam speciebus; non plura quàm Tria genera cantus; non plures quam Tres Simphonias continere harmoniam.

Sed

Sed nec vacare hâc quantitate Ius ipsum, immo Trifariam existere, intueri poterat: Naturale, Gentium, Civile. Ipsius Tria assignari praecepta: honestè vivere, alterum non laedere, suum cuique tribuere. Ad Tria eadem pertinere: ad personas, ad res, ad actiones. Personas olim distinctas in patritios, senatores, plebejos. In liberos, in servos, in libertinos. Eosdem servos per Triplicem manumissionem, per justam scilicet, per minorem, per inferiorem liberos evasisse. Per justam, cives Romanos effectos; per minorem, Latinos; per inferiorem, Dedititios. Civesque Romanos Triplici iterùm modo, manumissione vel in testamento, vel in aede sacrâ, vel ante Consulem. Latinos Triplici pariter modo, aut per epistolam, aut inter amicos, aut in convivio. Dedititios Triplici itidem formâ, vel subdendo eos supplicio, vel publicè caedendo, vel ferro, ac igne signando.

Res in nullius bonis censeri Trinâ ratione; censurâ, naturâ, eventu. Censurâ, res sacras, res sanctas, res religiosas. Naturâ, pisces, volucres, bestias. Eventu, res haereditarias ante existentiam haeredis, Thesaurum diuturnitate temporis ignotum, res pro derelicto habitas, ut missilia.

Actiones in Triplici versari differentiâ: universales nimirum generales, ac singulares. Alias esse rei persequendae, alias poenales, alias mixtas. Alias bonae fidei, alias stricti juris, alias arbitrarias. Triplicem dari actionem pro legato consequendo. Triplicem dari pro fideicommissis universalibus obtinendis, Triplicem pro commodato, Triplicem contra damnum illatum, à Judice, seu Magistratu decernendum, qui et ipse, in reddendo jure, ab Agathone quodam (referente Stobeo) edoctus, Trium meminisse debet, nempe quod hominibus imperat, deinde quod secundum leges, tertiò quod non semper imperabit.

Nec dubitaverim ipsum ignorasse, tribus olim matrimonium constitisse, Usu Farre, Coëmptione. Triplicem viguisse patriam pote-

potestatem, Triplicem tutelam, Triplicem capitis diminutionem, Triplicem servitutem, Triplicem donationem. Tria reperiri genera testamentorum, Tria genera legatorum, Tria genera substitutionum, Tria genera haeredum. Tribus modis fideicommissa relinqui, Tribus ordinibus succedi ab intestato, Tribus rationibus testamenta non valere, Tribus personis denique institui judicium.

Verùm quid adhuc te moror, humanissime Lector, et calamum patientiâ tuâ intemperanter abutentem, Trini usquequaque diffusi indaginem ulteriùs prosequi patior? Minus agit quicunque hujusce numeri praeconium aliundè, quàm à Superis aucupatur; postquam eidem compendium dignitatis suis ipsa Personis est impertita Divinitas, quam sacro, Coelitusque dato Trisagio venerari, Catholicae nos ritus edocent Lithurgiae.

Hoc igitur argumento liqueat, quod Agatho non ineptè haec congessit, sed ut olim etiam opinabar, prorsus ingeniosè; quodque propterea Agathonibus illis sit praeferendus, quos antiquorum Philosophorum familiaritatem, atque encomia meruisse legimus: sive Tragoedum memoremus, cui in scenicis actionibus Plato in Simpos: in gravibus effatis Aristoteles Ethic. cap. 2. primas detulit. Sive Aenigmatistam, nostro consimilem spectemus, quem in gryphis pariter aptè concinnandis laudat Athaeneus: sive tandem pythagoricum recenseamus, quem in antithetis itidem excelluisse, refert Aelianus de var. histor. lib. 10. cùm Priscius noster, quà aenigmaticam, quà antithetis redundantem Inscriptionem hanc suam tantâ ulteriùs eruditione, ut constat, refertam nobis protulerit, ut Agathones omnes alii ei concedere, compellantur.

Ita sanè infra sequenti capite, dijudicasse videbimus, prae caeteris, Epigraphicae hujus Artis Magistrum celeberrimum, Emanuelem Thesaurum, qui Inscriptiones ritè pangere cupientibus hanc supra quascunque proposuit; immo tanti fecit, ut easdem, quae, Cicerone ipso quondam dictante, ex Senatus

consultis, tum in publicam Heroum laudem, tum in perpetuum elocutionis exemplar prodierunt, in hujus speciem audacter nimis, et operosè recoxerit. Nam etsi perfectam aurei illius saeculi latinitatem aequari unquam posse diffideret, novum quid tamen laudabiliter addi posse credidit: incognitam scilicet illi aevo (ut existimavit) harmoniam, quam ἀπό τῦ ταυτολογεῖν desumpsit, et candori atque gravitati Latiae elocutionis, novo ausu, nec improspero forsitan exitu restituit.

En illud, quod de merâ verborum serie, hoc est de extrinsecâ Ternarum vocum harmoniâ, ibi toties repetitâ, statuit amoenioris elegantiae sectator Thesaurus; verùm de intrinsecâ earundem significatione, tot ambagibus involutâ, altiùs sensit penitissimus Philosophiae scrutator Licetus. Voluit enim, hoc mirabile opificium ex libris Parabolarum, seu Proverbiorum effluxisse, quos Aristotelem composuisse, indicavit Diogenes Laertius, decerptumque fuisse ab aenigmaticis locutionibus, quas ille Philosophantium omnium Coryphaeus, ad acuenda ingenia, animi gratiâ, quandòque inambulans dictitavit.

Quanquam enim haec altè nimis detorta (ignoscant mihi tanti viri manes) illius sententia, in hoc etiam humili quidem, et nativae, omnisque speculationis fundatus experti expositioni nostrae adversetur, quòd nimirùm Inscriptionis alium ab Agathone authorem statuat, ejusdem tamen Agathonis doctrinam hoc ipso nobiscum celebrat argumento. Etenim Laelianum hoc Epitaphium Aristotelis opus esse, judicare haud potuit Fortunius, quin etiam legitimum ejus Authorem Agathonem eidem Aristoteli supparem indicaverit, vel in obumbrando animi conceptu sacris sapientiae mysteriis, aenigmatum ope, prout, ante eundem, Stagyritam egisse, Socratem, Pythagoram, Platonem, caeterosque omnes, satis superque in proemio demonstravimus. Vel in frequentatâ ejusdem Stagyritae consuetudine distinguendi ambigua, atque obscura per in fieri, ac in facto esse, per potentiam, et actum, ut passim è libris Physico-

rum

rum colligimus; praecipuè tex. 45. tex. 68. juncto anteced. tex. 67. expresſè lib. 3. de Coel. c. 3. tex. 31. cùm ait, elementum inesse caeteris corporibus *potentia vel actu*: egregièque demonstrat Scot. in 2. dist. 12. q. 1. lit. G. declarans quomodò generans nil faciat aliud, quàm extrahere illud, quod est in potentiâ ad actum; et aptiùs Burleus in Physic. Arist. lib. p. super tex. 62. exemplum ponens in spermate apud generationem hominis, ubi non cessant partes recedere, et partes hominis fieri, donec illa forma humana perficiatur, quae ne vix coepta fuit in Aborsu, in Geniturâ nostrâ; et quâ unicâ distinctione tantùm, non aliàs, et oppidò aliter implacabiles Inscriptionis nostrae contradictiones concordari posse, satis constitit. Vel denique in recensendis cum eodem Peripatetico priscorum Sophorum de animâ opinionibus, suprà enumeratis, in quibus pariter apparuit quidquid de ipsa opinati olim fuerint Leucippus, Empedocles, Socrates, Democritus, Plato, aliique id genus, quorum sententias, nedum delibasse, sed liberaliter etiam hausisse Lucium Agathonem, suprà ostendimus; quapropter de ipso quoque ritè concini posset, quod de Manlio Vates scripsit:

Quidquid Socratico manavit ab ordine, quidquid
Docta Cleanthae sonuerunt atria tubae,
Inventum quodcunque tuo, Chrysippe, recessu:
Quidquid Democritus risit, dixitque tacendo
Pythagoras; uno se pectore cuncta vetustas
Condidit, et major collectis viribus exit.

Vetustioris Aevi;
non recentis,
mirabilem Inscriptionem nostram opus esse;
ac proinde à summis Authoribus eximiis laudibus
jure efferri;
meritòque non paucos eandem sibi
in aemulationem proposuisse.

Caput VII.

ARtificiosa quorundam versutia eò quandoque progreditur, ut arduam rerum cognitionem, quam veluti desperatam dimiserunt, non solùm intorto mento despiciant, verùm etiam difficultatibus adoriantur, ut laudem sibi ipsis hinc denegatam, in aliis hâc arte minuant, si non evertant. In Aelianâ tamen hâc Inscriptione nostrâ, id nequicquam timendum crederem; qùum tali ac tantâ concinnitate, doctrinâ, atque eruditione à Sapientissimo Agathone compactam jam agnoverimus, ut irridendi potiùs, ac neutiquam audiendi viderentur, qui in eâdem enodandâ, propriae virtuti diffisi, ad hanc contemnendam, impugnandamue traherentur, antiquorum opus eam fuisse negantes; sed novum potiùs existimari figmentum, quo urbanus quidam, ac facetus nobis ita os sublinires. Verùm, ne rationes, ac fundamenta, quibus haec eorum niti posset sententia, à nobis càllidè missa judicarentur, haec prae caeteris obtrusa fuisse, ponamus: Quòd nimirùm non aenigmatis, nec antithetis prisca unquam luserint epitaphia: Quòd non praenomine, seu tribus nominibus foeminas designaverint: Quòd non omnibus elementaribus literis, sed paucis,

paucis, seu primâ tantùm, puncto apposito, eadem praenomina expresserint. Quòd diphtonghos, non eo pacto, quo hìc cernuntur conscriptae, unquam ediderint. His ergo singulis occurrendum superest, ut pristino decori restituatur, rectoque, quod dici solet, talo nostra stet Inscriptio.

Sed priùs integro hoc capite in ipsius antiquitate ac dignitate à contradictionibus vindicandâ insistendum. Etenim si, exquò verus, ac vetus ejusdem Inscriptionis lapis invidiosâ tandem Vetustatis labe corruptus interiit, eum neutiquam extitisse, quis coniiceret, falleretur profectò; cum immo recens nimiùm exemplar, quòd se nobis nunc sistit, necessariam priùs existentiam antiqui archetypi, à quo describi debuit, arguat atque commonstret. Sanè antiquum se millies conspexisse testati sunt Seniores nostri, inter quos centenario proximus Pater meus, tertio ab hinc lustro relictis mortalitatis exuviis, in exoptatam, ut spero, immortalitatem cooptatus: nec semel mecum conquestum memini nobilem patritium, ac Senatorem amplissimum Achillem Voltam, Villulae illius tunc possessorem ac Dominum; dum me certiorem faceret, quo irreparabili fato, perpetuò Felsinae deflendo, diruta vetustissimi illius Marmoris fragmenta, in angulo sepositi cujusdam cubiculi, non adeò sarta tecta sese obtegerint, quin ab inscio fabro murario reperta, in Suburbanae domus, tunc temporis adauctae fundamine, calce, ac veteri rudere mixta perierint.

Quòd si huic assertioni, tanquam partis suspectae, nulla praestaretur fides, haec utique duobus haud denegari posset, non quidem Bononiensibus, non Italis, sed externis, sed transalpinis, ac proinde omni exceptione majoribus, qui antiquum lapidem senio ferè labentem atque consumptum propriis oculis se inspexisse, vixque transcribere valuisse, literis prodiderunt. *Testibus* autem *de visu* (ut nos Iurisperiti effamur) *omninò credendum esse*, et *in ore duorum, vel trium stare omne verbum*, notissimi adeò juris est, ut nil ulteriùs addendum. Primus ergo fuit

go fuit Ioannes Turrius Belga Brugensis, in Epistolâ ibid. Ianuar. 1567. Riccardo Vito, (ut supra cap. pr. monuimus) amico suo, terque in eâdem Inscriptione interpretandâ competitori, missâ, quâ eum à corrupto Insubrium exemplo fuisse deceptum, certiorem faciens, verum ac intactum, quodque omninò, atque ad literam cum hodierno nostro congruit, eidem transmisit his verbis: *Qua in re post multas tandem controversias, in hanc sententiam discessionem fecimus, ut existimaremus, Mediolanenses, dum quæ alii diligenti investigatione non sine summis laboribus invenerunt, sibi adscribere volunt, illud Aenigma quibusdam in locis non nihil immutasse. Placuit itaque tibi ut Epitaphium, quod hisce oculis lectum, descriptumque mecum attuleram fidei faciendæ gratia, in calce tui libri (quando perlegissem) adjungerem &c. Bononiæ ergo porta Mascharella egredientibus, primo ab urbe lapide, offert sese villula Marci Antonii de la Volta, Patritii Bononiensis, in qua tuum illud reperitur Epitaphium cujus quidem vetustatem literæ in marmore nonnullæ, diuturnitate temporis, situque, et quasi quadam rubigine corrosæ, facillimè per se indicare possunt.*

D. M.

ÆLIA LÆLIA CRISPIS. etc.

Alter est Io. Casperius Gevartius, I. C. in suis electorum libris lib. 3. cap. 7. idem iisdem fere verbis referens; solum addens praecipuum, eique statim obvium locum, in quo illud conditum perspexerat, nempe *parietem Templi cum Villa conjuncti*; et est quod pariter indicavit Marcus Georgius Draudius Francofurtensis, in memorabilibus Mundi C. Iulii Solini annotationibus, ubi de Bononiâ loquitur, dum illud tunc ponit *Ad Petri*, hoc est ad parietes istius Templi D. Petro ac Paulo, à Mi-

litibus

litibus Gaudentibus usque de anno 1260. dicati, ut vetustissimae ycones ad Aram maximam, per egregium Pictorem nostrum Peregrinum Tebaldum postmodum recoctae, usque in praesentem diem satis innuunt. Sic enim et ipse effatur: *Bononiae extra Portam Mascarellam, primo ab urbe lapide, propè villulam Marci Antonii Voltae Patritii Bononiensis, in pariete templi cum villa conjuncti, extat Epitaphium quoddam marmori incisum, cujus antiquitatem excesae jam, et fugientes prae situ literae satis indicant: se ita habet:*

D. M.

ÆLIA LÆLIA CRISPIS. etc.

Congruit cum extimâ structurâ, Inscriptionis itidem forma, hocest ipsius argumentum, mirabili adeò arcanorum caligine undique obductum, ut quamlibet per se solum recentis opificii suspicionem avertat. Peculiaris siquidem fuit semper Antiquorum usus, recentioribus ideo inconcessum, in aenigmatibus intexendis incomparabiliter excellere, ut satis in proemio ostensum; utque copiosè probat eruditissimus Licetus, lib. 2. cap. 2. *Quum enim*, subdidit ipse, *assiduè versarentur Seniores in aenigmatum structura, et dissolutione, propositis proemiis, et poenis solertiae, ac ignorantiae, ut ex Atheneo constat lib.* 10. *dypnos. in fin. et Ios. Iudaic. lib.* 1. *con. Appion. proinde veteres omnes ingenii nervos in hanc rem intendentes, ingeniosissima et ad soluendum difficillima pangebant aenigmata, quibus recentiora non sunt ulla ex parte comparanda; utpote ab iis efficta, qui non ita in ipsis effingendis exercitati sunt: quum igitur hoc Eliae monumentum sit Griphus omnium quotquot apud vel Antiquos, vel recentiores Authores leguntur vetustissimus, artificiosissimus, et explicatu difficillimus, proculdubio nonnisi vetustioris Authoris opus esse potest.*

Nec mi-

Nec minùs validam Antiquitatis conjecturam afferunt alia duo, quae aenigmaticae huic structurae haerentia, ipsam magis roborant ac augent. Primum est constans vis oppositorum, quâ penitus obumbrari videntur Inscriptionis obscuri sensus, deinde consonans vocum Triplicitas, quâ pleniùs ejusdem concentus diffunditur. Nam, quod usus Antithesum fuerit apud Priscos, perspicuè convincitur ex antiquissimâ Poetriâ Sappho, quae, cùm epistolae gryphum texere decrevisset, contrariis ac discrepantibus inter se sententiis ita efformavit:

Foemina quaedam natura foetus sub sinu suos
Servat: ii verò muti claram vocem
Edunt, tum per aequoris fluctus, tum per continentem universum,
Quibus placet mortalibus, licet autem absentibus
Quamvis surdum auditus sensum habeant illos audire.

Huic persimile est illud Alexi, de quo Athaeneus dipnos. lib. 10. ad fin.

Non mortalis, non immortalis, sed temperatione quadam
Mixtus, ut nec in hominum, nec in Deorum numero vivat,
Sed nascatur semper,
Et semper intereat; nec ulli cernatur,
Notissimus sed semper sit omnibus.

Illudque turpe ex Eubulo in Sphingorion. hujusmodi:

Loquitur elinguis, uno tantum nomine vocatur, quamvis masculus sit, ac foemina.
Ventorum suorum promus; nunc glaber, nunc hispidus,
Stulta stultis profatur, numeros ex numeris trahit;
Vnum est, atque multa; invulnerabilis etiam cum vulneratur.

Sic illud:

Nolo toro jungi, quamvis placet esse maritum,
Nolo virum thalamo, per me mea nata propago;
Nolo sepulchra pati, scio me submergere terrae.

Cui hoc assimilatur:

Sublatum nihil est, nihil est intrinsecùs auctum,
Quod fuerat, non est, caepit, quod non erat, esse,
Nec tamen inveni, quidquid priùs esse reliqui.

Vt vulgatissimum illud Platonis 5. de legib. silentio praeteream:

Vir non vir, volucrem non volucrem, videns non videns, in ligno non ligno, sedentem non sedentem, lapide non lapide, jaculatur, non jaculatur;

Illudque ejusdem Athaen. ibid. lib. 3. cap. 20. et lib. 10. cap. ult. negationi nostrae *nec Coelo, nec Aquis, nec Terris, sed ubique jacet*, affine adeò et cognatum, ut nostrum Aenigma eum vidisse, omninò arguat: quum scilicet iratum introducit Cynulcum sic invehentem: *O vir ventrose, et gulae dedite, nihil aliud nosti? num sermones, num historias commemorare, num quae est in sermonibus, venerem inicere; sed totus semper in hoc es: Iacet, non jacet, dictum est, non dictum est quaeritans.* Et infra: *Est autem vetustissima Griphorum haec oratio, et eorum naturae accomodatissima. Quid est, quod nescimus, et docemus omnes? Quid idem est nusquam, et ubique? Praeterea quid idem in Coelo, Terra, et Mari est?*

Quod Trinâ pariter vocum consonantiâ concinnare sermones Antiqui consueverint, satis probant clamores frequentissimi, quibus Plebs ipsa Romanusque Populus in encomia, ac increpationes suorum Ducum ferebantur; ut quum, verbi causâ, milites currum Caesaris triumphantis insequentes, urbanum illud jocolariter occinebant:

Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem,
Ecce Caesar nunc triumphat, qui subegit Gallias,
Nicomedes non triumphat, qui subegit Caesarem.

Vt quum, è gravi morbo refecto Germanico, ita Tiberio concordi voce gratulatum fuisse refert Suetonius:

Sal-

Salva Roma,
Salva Patria,
Salvus est Germanicus.

Vt quum denique Senatum ipsum Alexandro Severo, toties frustra rogato, ut nomen Antoninorum, ut nomen Magni assumeret, hâc Triplici acclamatione:

Antonine Alexander, Dii te servent,
Antonine Aureli, Dii te servent,
Antonine Pie, Dii te servent;

hanc ternam ampliùs adiecisse negationem, nostrae prorsus simillimam, Scriptum reliquit Lampridius in ejus vitâ:

Pejor Commodo solus Eliogabalus:
Nec Imperator nec Antoninus nec civis
Nec Senator nec Nobilis nec Romanus.

Sic triplici jactatione quondam suos efferebant mores Spartani apud Caestium, quum se dicerent:

Sine divitiis educari,
Sine muris vivere,
Sine vita vincere.

Sic Terno vocum illarum sonitu:

Veni Vidi Vici

suum exornare triumphum gloriabatur Caesar, Trinamque hanc harmoniam tanti fecit Cicero, ut eâ non raró uteretur. Non enim urbanitatis modò, ac leporis gratiâ, id quondam egisse comperimus, quum consulem, qui sex pomeridianis horis tantum Consulatûm tenuit, tali aspersit joco:

Consulem habuimus
Tam severum, tamque censorium,
ut in ejus magistratu
nemo pranderit nemo cenarit nemo dormierit;

ad cujus similitudinem Trebellius Pollio, de Mario vii. qui faber ferrarius triduò tantùm imperavit, exclamavit:

Vna die factus est Imperator,

Alia die visus est Imperator,
Tertia die interremptus est;

Sed frequenter, ac seriò inter graviora orationis momenta; seu laudaret, seu peroraret, ut ibi:

Miseremini familiae, Iudices,
Miseremini fortissimi, Patres,
Miseremini filii.

Vt ibi:

Vos
Pro summa diligentia moneo,
Pro auctoritate consulari hortor,
Pro magnitudine periculi obtestor,
Vt ocio ut paci ut saluti
Vestrae,
Vt vita vestrae ut caeterorum saluti
consulatis.

Et alibi:

Si quid obtigerit,
aequo animo paratoque moriar;
neque enim potest accidere
turpis mors forti viro,
neque immatura consulari,
neque misera sapienti.

In Milonianâ tandem, ut tot alia exempla praeteream:

Est enim, Iudices,
haec non scripta, sed innata lex,
quam non
didicimus accepimus legimus;
verum ex natura ipsa
arripuimus hausimus expressimus.

Sic antiquis in lapidibus, ut materiei haereamus,
Apud Grut. pag. 1051. 3.

CLI.

CLINITIAE CAMPETIAE H. F. IN QVA FVIT
INIMITABILIS CASTITAS
PROBISSIMA VERECVNDIA
INCOMPARABILIS INNOCENTIA
PERPETVA QVIESCIT IN PACE

Pag. 563. 5.

SALVADIENAE FASTILLAE DELITIAE SVAE
RELIQVISTI MAMMAM TVAM
GEMENTEM PLANGENTEM PLORANTEM
VIXIT ANNIS etc.

Et apud eundem alibi, in quodam fragmento in fin.

FVGE TACE QVIESCE

Hinc ritè ad revocatam hodie, et quasi postliminio reversam hanc verborum Triphoniam redeunt, seu saltem cum Thesauro ad eandem adinventam, Veteribusque studiosè additam, accedunt Nuperorum Ingenia, cunctis mirabiliter praeeunte eloquentissimo Patre Petiot, hisce praeconiis, quae in Natali Die LVDOVICI MAGNI Invictissimi REGIS Nostri, acceptata tunc instar ominis, nunc veneramur ut Oracula:

Vivat donec
nullum hostem Gallia sentiat,
nullum Europa patiatur haereticum,
nullum Ecclesia non sibi subditum videat.
Vivat
Secundus Regi, qui genuit,
Reginae similis, quae peperit,
Gallia major, quae flagitavit.

Superi

Superi, qui dederunt, aeternùm servent;
Cives, qui petierunt, patrem sentiant;
Exteri, qui timuerunt, victorem ferant etc.
Diu expectatus, nunquam recedat;
Miraculo genitus, miraculis fulgeat;
Coelo delapsus, terris imperet.
LVDOVICVS meruit, LVDOVICVM aequet;
ANNA obtinuit, ANNAM felicitet;
Gallia suscepit, Galliam amplificet etc.

Nullo igitur suaviore concentu resonant Inscripti nunc Lapides. Sic Romae Capitolium, capita piscium propositam ibi mensuram excedentium, hâc praescriptâ lege jure suo sibi vindicans:

CAPITA PISCIVM HOC MARMOREO SCHEMATE LONGITVDINE MAIORVM VSQVE AD PRIMAS PINNAS INCLVSIVE
CONSERVATORIBVS DANTO
FRAVDEM NE COMITITO
IGNORANTIA EXCVSARI NE CREDITO
ANGELO CALVARIO CVRTIO SERGADIO
FRAN. CALVIO
COSS.
INSTAVRATVM ET ERECTVM.

Sic Villa Burghesia, viatorem quemlibet voluptuarium perhumaniter excipiens:

VIATOR etc.
LEGVM COMPEDES NE TIMEAS
ITO QVO VOLES
CARPITO QVAE VOLES
ABITO QVANDO VOLES etc.

Et ple-

Et pleniùs Tricodato verborum aucto, Adriana Moles, vulgò, Castello S. Angelo:

QVAE OLIM INTRA HANC ARCEM
COLLAPSA IMPEDITA FOEDATA
ERANT
EA NVNC A PAVLO III. P. M.
AD SOLIDAM FIRMITATEM SVBTILEM VENVSTATEM
COMMODAM VTILITATEM
EXTRVCTA DISPOSITA ORNATA
CONSPICIVNTVR.

Immo intrà Sacras Aedes, hâc eâdem verborum Ternâ condecentiâ caeteris veneribus intermixtâ, crebrò exultant moesta vel ipsa Mortuorum Caenotaphia. In D. Philippi PP. Oratorii Fundatoris, vulgò la Chiesa Nuova:

CAESII FRATRES
PETRVS DONATVS S. R. E. PRESB. CARD.
TEMPLI APSIDEM FVNDAVIT
AEDES MVLTAS COEMIT
SACERDOTVM HABITATIONEM AMPLIAVIT
ANGELVS EPISC. TVDERTINVS
SACELLVM
EXTRVXIT AC DOTAVIT
FVNDAVIT ORNAVIT PERFECIT

Idem in Aede D. Mariae Angelorum ad Thermas, in tumulis Cardinalis Alciati, et Cardinalis Parisii, sibi inuicem è regione oppositis. Quum enim primus à dextris (exemplo antiquissimi Epitaphii Amalasunthae Reginae, à Cassiodoro lib. p.

ita com-

ita commemorati: CASTA VIXIT, LANAM FECIT, DOMVM SERVAVIT) haec et ipse reddat:

VIRTVTE VIXIT
MEMORIA VIVIT
GLORIA VIVET

alter à sinistris, quasi hac Ternâ Ter voce respondet:

CORPVS HVMO TEGITVR
FAMA PER ORA VOLAT
SPIRITVS ASTRA TENET

In D. Gregorii in Monte Coelio.

D O M

FLAMINIO GVIDICCIONIO PATRITIO LVCENSI
QVI
FORIS STRENVVS DOMI PRVDENS
SAPIENS NAVVS IMPIGER
PRINCIPES VIRTVTE SINGVLOS VRBANITATE
PARES OFFICIO
DEMERVIT
ET SEXAGENARIO MAIOR
EMERITIS AVLAE VITAEQVE STIPENDIIS
EXCESSIT
A. S. MDCXV. XVI. KAL. AVG.

In Ecclesia S. Mariae supra Minervam,

PAV-

PAVLO. IV. CARAFFAE PONT. MAX.
ELOQVENTIA DOCTRINA SAPIENTIA
SINGVLARI
INNOCENTIA LIBERALITATE ANIMI MAGNITVDINE
PRAESTANTISSIMO
CATHOLICAE FIDEI ACERRIMO PROPVGNATORI
PIVS. V. PONTIF. MAX. GRATI ET PII ANIMI MONVMENTVM POSVIT
VIXIT ANNOS LXXXIIII MENS. I. DIES XV

In D. Caroli ad Quatuor Fontes.

D. O. M.

CORNELIAE DE MAGISTRIS
INSIGNI SANCTIMONIA MATRONAE
QVOD CLAVDI POTVIT
HIC IACET
IPSA CAELO RECEPTA
QVID MIRARE ?
HOC PIETAS HOC AMOR HOC BENIFICENTIA
ILLA IN DEVM
ISTE IN PROXIMOS
HAEC IN PAVPERES
SINGVLARIS
DISCE VIATOR EX HAC MAGISTRA
TERRENA CALCARE
SITIRE CAELESTIA

P OBIIT

OBIIT
DIE XXIIII. DECEMBRIS
ANNO DNI. MDCXL.
AETATIS SVAE XXXVI.

In Anniversaria Clementis. IX. ferali pompa, intra Liberianam Basilicam ab anno 1680. instituta.

CLEMENTIS. IX. P. O. M.
BREVITAS VITAE GESTA INTERCEPIT
MODICO TAMEN CVRRICVLO
ANNONA ADAVCTA PAVPERIES REFECTA
VECTIGAL LENITVM
VISITATVS AEGER ADMISSVS SVPPLEX
AVDITVS POENITENS
COMPOSITVM BELLVM CRETA SVFFVLTA
PONS INSIGNITVS
MVNIFICENTIA VBIQVE DIFFVSA
ET TEMPLVM HOC AD INSTAVRATIONEM GEMMEAM DESTINATVM
SED SPES IN GEMMA ARVIT
NAM
PRINCIPATVS TANTI AVRORAM VIDIMVS ET NON MERIDIEM
AT VNA ALTERIVS INDEX

Cui quodamodo, etsi ludrica, haec consentit:

SALVETE PARCAE QVAE PARCE VITAM MEDICO NEVISTIS
NE PARCERE VIDEREMINI
NIMIS PLVS IAM VIXERAT

SEXA-

SEXAGENARIVM OPPORTVNE DE VITA DEIECISTIS
QVI SI VIXISSET DIVTIVS SANITAS MORTALIS PRO-
PE IMMORTALIS FVISSET
INVIDEBAT SCILICET MANES INFERIS
CHARONTI NAVLVM PLVTONI VMBRAS
LIBITINAE POMPAS
PRAEFICIS PLANCTVS POLLINTORIBVS VNCTIONES
VESPILLONIBVS FVNERA
SANDAPILARIIS FERETRA DESIGNATORIBVS ORDINES
TIBICINIS NAENIAS
REDDIDISTIS
SINGVLA SINGVLIS OMNIBVS OMNIA
NVNC ABEVNTIBVS MEDICIS
FEBRIS EXVL REDITVRA EST SANITAS AEGROTABIT
IACEBVNT REMEDIA MORBI IN REGNO ERVNT
VITAE INVITAE MORIENTVR
SALVETE ITERVM PARCAE QVAE SALVVM VVL-
TIS NEMINEM.

Vrbi et in hoc obsequitur nostra Civitas, Triplicis Consonantiae tenax, atque his duobus, (ne tot aliis te morer humanissime Lector) à suaviloquo Achillino, in poeticis olim mihi Magistro, cujus ossa quiescant molliter, conscriptis:

CAMILLO GYPSIO
SENATORI ADVOCATO LECTORI PVBLICO
QVO EXTINCTO
LVGET SENATVS DOLET FORVM SILET CATHEDRA
CVIVS ALBO LAPILLO

BONONIAE CIVITAS PROPRIAM SIGNABAT FELICITATEM
ACADEMIA GELATORVM
SOLVTO IN LACRYMAS GELV

D. M.

LVTIO MALVETIO
FELSINEAE NOBILITATIS FLORI
SVB IPSA VITAE AVRORA IMPORTVNA MORTIS
FALCE RECISO
VENVS CHARITES AMORES
ABIECTIS SPICVLIS FRACTIS PHARETRIS
DEPLVMATIS ALIS
ADOLESCENTVLO FORMOSISSIMO
MVLTIS CVM FLORIBVS ET LACRYMIS
POSVERVNT

Quibus non adiicere haud possumus, quod argutè, ac eleganter, more suo, ad Villulam Achillis de Gozzadinis, Perinsignis Collegiatae S. Petronii Canonici, super excisâ ibi Vlmo, Illustrissimus D. Vlisses Gozzadinus Sanctae Ecclesiae Bononiensis Canonicus ita inscribi voluit:

LVGETE
VITES VICINIAE
LVGETE
INGENS VLMVS HIC QVONDAM SITA
GVMMI FOLLICOLORVM SAMARAE
VBERI PROVENTV SPECTABILIS
OB QVAM
LVDERE FOLIIS REPERE SVRCVLIS
LVXV-

LVXVRIARI PAMPINIS
CERTATIM CONSVEVISTIS
QVAE
STIPITIS DIAMETRO AD PED. IV.
VERTICIS PROCERITATE AD PED. C.
RAMORVM AMBITV AD PED. CCLX.
PROSPERE ADOLEVERAT
QVAE
AVIBVS NIDVM OVIBVS TECTVM BOBVS PENV
ABVNDE SVFFECERAT
SVB QVA
AVRAM DOMINVS SOMNIVM VIATOR
VMBRAM COLONVS
IVCVNDE CAPTAVERANT
CENTVM SECVRIBVS ICTA
CONCIDIT ANNO
MDCLXXIX.
LVGETE.

Adſtipulantur non pauca Vatum carmina, qui Maronis adinſtar funebre ſibi elogium ita efformantis:

Mantua me genuit *Calabri rapuere* *Tenet nunc Parthenope*
Cecini
Paſcua *Rura* *Duces*;

defunctorum acta, eodem ſemiditoni modulata rhytmo, ſic egregiè perſtringunt:

Renati Biragi.
Lis abiit;
iuſtè diviſimus omnia, ſervant
Oſſa *Animam* *Famam*
Terra *Deus* *Populus*.

Edmun-

Edmundi Merilli I. V. D.

Bartolus *et Baldus* *Iason*
Themis *Eunoma* *Pitho*
Tres super orbe Viri *Tres super astra Deae.*

Flavii Blondi.

Hic situs est Blondus
Paridis cui forma *Catonis vita* *Titi Livii fama*
decusque fuit.

Bononiae in D. Dominici peristylio:

Theseus est nomen *Stirps Odda* *Perusia castrum*
Ars bellum *Pubens aetas* *Mors febris acuta.*

Anguis *Aper* *Iuvenis*
pereunt
Vi *Vulnere* *Morsu*
Hic fremit. *Ille gemit* *Sibilat hic moriens.*

Quum verò Pentadius in Virgilium duplicato vocum triodio ita ludat:

Pastor *Arator* *Eques*
Pavi *Colui* *Superavi*
Capras *Rus* *Hostes*
Fronde *Ligone* *Manu;*

pari vocum repercussu sic Inscripta etiamnum reboant marmora:

Petri Bembi Cardinalis.

Historicus *Vates* *Rhetor*
Celebrat *Canit* *Implet*
Gesta *Ignes* *Aures*
Ore *Lira* *Eloquio.*

Oratii Finei Mathem.

Ingenium *Studium* *Nomen*
Beat *Expolit* *Ornat*

Bono-

Mens	*Ratio*	*Rumor*
Dotibus	*Arte*	*Sonis.*

Bononiae in Chart. Coenob.

Doctor	*Dux*	*Monachus*
Docui	*Devici*	*Habitavi*
Verba	*Scelus*	*Saltus*
Voce	*Timore*	*Fuga.*

Haec porò totiès decantata Triplex verborum Concinnitas, quae ulteriùs in Inscriptione nostrâ è non dispari oppositorum sibi Antithetorum dissonantiâ exilit, tanto studio totum pellexit Orbem, ut ad eandem laudibus certatim exornandam, celebriores rei Elogiasticae Scriptores contendant, eamque imitari, irrito quamvis voto, sublimiora Aevi nostri conentur ingenia.

Laudant prae caeteris celeberrimi Sapientiae ac eruditionis assertores R. R. P. P. Societ. Ies. in aureo tot gemmis instructo Reginae Palatio Eloquentiae. pag. 166. col. 2. et seqq. ubi, quum superiùs plenè egissent de Aenigmate, ac statuissent, quòd *variae sunt, ac multiplices Aenigmatum formae, sed quae per meras negationes fieri possunt, majorem caeteris afferunt delectationem etc.* admonent tandem in negationibus istis, seu antithetis, quibus tantum gratiae sibi conciliant Inscriptiones, cunctas superasse, omnibusque aliis semper anteisse hanc egregiam, quae in solo Bononiensi grandibus literis incisa, cunctis eam quaeritantibus occurrit.

Conspirat pereruditus atque elegans Scriptor, Theanensis Praesul, Octauius Boldonius, Barnabiticae Familiae decus ac splendor, in Epigraphica sive Elogia, Inscriptionesque pangendi ratione. Qui ab Inscriptionibus obscuritatem inter caetera omninò ablegans, ab hac Aelianâ tamen non adeò abhorruit, quin lib. 3. memb. 10. eam, ad Casperii Gevartii mentem, exponendam suscipiens, priùs ita celebraverit: *Caeterum aenigma-*

gmate etsi proscripto, quia plerunque obscuritate laborat, erit nihilominus praetium operis citare hoc loco Inscriptionem aenigmaticam monstruosissimam, quae nobilissima ingenia novitate sua lacessivit, etc.

Accedit tertiò consultissimus inter eruditos Caietanus Felix Verani in Pantheo argutae Elocutionis, hoceſt de Inſcriptionibus, Elogiis, ac Epitaphiis, etc. Expenſione quintâ, etc. ubi antiquas Inſcriptiones vitio ferè dare auſus, quas priſca, licèt diſſita, laudabiliter excitarunt ſaecula Tito atque Conſtantino Imperatoribus, ad earundem fermè caſtigationem ac correctionem hanc noſtram his proponit verbis: *Inscriptio perfectam servans Concinnitatem inter mille unica habetur Bononiae, tam celebris ac elegans, ut si non esset potiùs indissolubile aenigma, inter Inscriptiones principem facilè occuparet locum: Inscriptio igitur sepulchralis, multa complectens antitheta, est subiecta:*

ÆLIA LÆLIA CRISPIS. etc.

Quartum implet locum elegantiſſimus Emanuel Theſaurus, aurum ſuis non minùs ſcriptis, quàm proprio nomine flumen aureum effundens in illo ex ſuis operibus, cui titulus: Il Cannocchiale Ariſtotelico. cap. 4. ubi harmonicè quidem nos docens duplicem, immo Triplicem Concinnitatem praedictam, quae Spiritum vitae mortuis lapidibus infundens, omnimodam characteribus illis gratiam, ac venuſtatem impertitur, Inſcriptionis noſtrae non ſolùm ita proponit exemplar: *Et acciò che tù meglio sperimenti, quanta sia la forza della Concinnità Continuata in una Iscrittione, ti reco dauanti quella tanto famosa, che basteria per se sola à far famosa la Città di Bologna, quando per tante prerogatiue nol fosse, etc.*

ÆLIA LÆLIA CRISPIS. etc.

Sed illam, quae in Conſtantini Arcu Viâ Appiâ, ad Amphitheatrum,

trum, adhucusque legitur, ad nostrae normam ita in meliorem reformare, sibi persuasum habet:

FLAVIO CONSTANTINO AVGVSTO
IMPERATORI PONTIFICI PATRI PATRIAE
TER MAXIMO
AVSPICIIS ARMIS CONSILIIS
TER FELICI
DEVICTO TYRANNO DELETA FACTIONE
VINDICATA REP.
TER TRIVMPHANTI
ARCVM VRBEM ANIMOS
SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS
EXPANDIT

Imitati verò sunt, quotidièque imitantur quamplurimi non obscuri nominis Authores, eam aemulari quidem studentes, sed nunquam verè aequantes: Nam quemadmodum in picturis soli archetypo, excellenti quamtumvis manu saepius transpingatur, primae semper deferuntur, ita haec Aeliana Inscriptio semper inter caeteras, ad ipsius normam vel mirificè effictas, supereminet atque anteit, non secus ac in maritimâ classe praetoria navis, seu, ut literariâ comparatione utar, quantùm praestat quibuscunque aliis Poëma Aeneidos; vnde jure Statius:

Nec tu divinam Aeneida tenta,
Sed longe sequere, et vestigia semper adora.

Porrò ex his paucis, tum ab ipso Thesauro, tum ab aliis collectis, nudam vocum Triphoniam hinc petentibus, clarè id liqueat:

PROH
NEFANDVM MARTIS FVRORUM
QVI
FERRO FACE TABO
Q DIVO-

DIVORVM SACRA CONTAMINAT
LEGES CALCAT AEDES NVDAT VRBES ORBAT
FORTES RECTOS SANCTOS
TVM SANGVINIS TVM GLORIAE
INDECORA ET LVCTVOSA
PROFVSIONE
DISPERDIT

CIVEIS MOINCEPS MOILES
ACCOLA INCOLA CONCOLA
QVEISQVEIS SIÈS AMICVS HOMON
RESTITATO AC LEGITO
PVMICOSAE HAE LATEBRAE DVLCE COLLACRVMANTES
ET BLANDIENTER MELLISCANTES HEI LATICES
PER FLORVLENTAS VERTVGINES
IOVI EFLOVIO PROSERPIGINOSEI
OCVLIS SPECVLVM LABRIS DELICIVM
AVRIBVS CONCENTVM
PERENNI LVBENTIA DONO DANVNT
HIC ERGO PRO ARBITRIO AC VOLVPE
SPECTATO POTATO ADQVIESCITO etc.

OMASIVS FAGONIAE DVX
DOMINVS VICTOR PRINCEPS
HIC IACEO
NEMO ME NOMINET FAMELICVS
PRAETEREAT IEIVNVS
SALVTET SOBRIVS
HAERES MIHI ESTO QVI POTEST
SVBDITVS QVI VOLET
HOSTIS QVI AVDET

VIVI-

VIVITE VENTRES ET VALETE

Quòd si Triphoniae addantur vel Antitheta, quae ipsi Ciceroni nonnunquam arrisere, ut quum in lib. de Orat. ait:

Oratio
de horridis rebus nitida,
de jejunis plena,
de pervulgatis nova;

quorumque ope neotericae hae Inscriptiones in aenigmaticas, nostrae simillimas, pleniùs abeant, idem usu venit, ut patet è subiectis, tam longè à nostrâ dissitis atque disparibus. Et primò ex illâ Medici cujusdam, penes Franciscum Suvertium supra laudatum, necnon Thesaurum:

VIATOR
MANE LEGE AMBVLA
HIC IACET ANDOR VORTVNIVS
NEC SERVVS NEC MILES NEC MEDICVS
NEC LANISTA NEC SVTOR NEC FVR
NEC CAVSIDICVS NEC FOENERATOR
SED OMNIA
NEC IN VRBE VITAM EGIT NEC RVRI
NEC DOMI NEC FORIS
NEQVE IN MARI NEQVE IN TERRA
NEQVE HIC NEQVE ALIBI
SED VBIQVE
NEC FAME NEC VENENO NEC MORBO
NEC FERRO NEC CAPISTRO SVBLATVS
SED OMNIBVS
POSVI H. I
ILLI
NEC DEBITOR NEC HAERES NEC COGNATVS
NEC VICINVS NEC NECESSARIVS

HANC
NEQVE MOLEM NEQVE LAPIDEM NEQVE TVMVLVM
SED OMNIA
NEC ILLI NEC TIBI NEC MIHI
NEC MALE NEC BENE VOLENS
SED OMNIBVS

Cui respondet epitaphium Mulieris è Basileâ, ex eodem Thesauro:

PALLADIAE VENERIS VEL VENERIAE PALLADIS
THALAMVM SEPVLCRO SIMILEM CERNIS
VBI VIRGO SIMVL ET MATRONA NVPTA ET INNVPTA
NEC STERILIS NEC FOECVNDA NEC VXOR
NEC PELLEX
CONIVX SINE CONIVGE CAELEBS SINE CAELIBATV
ANNOS QVINDECIM SINE QVERELA
CVM VIRO IACVIT SEMIVIRO
MIRANTE NATVRA TANDIV POTVISSE FOEMINAM
SIC IACERE VEL TACERE

Tandemque, ut illam ex Alitophili Veritatis lachrymis, illam è R. P. Iacobo Masenio, atque hujus farinae qnamplurimas praeteream, è schedis olim Patris Constantini à Cruce, cujus amicis cineribus S. T. L. pro coronide appono alteram de lictore quodam ebrio in puteum demerso ad finem Anni, ante Solis ortum, dum hauriret aquam, quâ subito igne conflagrantem domum extinguerer:

DIS PEDIBVS SAXVM
SEPVLCRO HOC NON LAPIDEO SED AQVEO
CONDITVS EST VIVVS QVI EIECTVS EST MORTVVS
EX IGNE EXANIMIS

ANI-

ANIMAM IN AQVIS AMISIT
FLAMAM EX IMBRICE EXTINCTVRVS VINDICE
LYMPHA EXTINCTVS EST
A NIMIO CALORE TRANSIIT AD AQVAS NIVIVM
ET VSQVE AD INFEROS PECCATVM ILLIVS
IN COELO MICANS AQVARIVS OCCIDEBAT
CVM MISER E COELO IN AQVAS DECIDIT
ET PISCATOR IN VNDIS PRAEDAM NON INVENIT
SED VNDARVM PRAEDA FACTVS
HAMO EXPISCATVS EST
PERIIT
NON IGNE NON AERE NON VNDA
SED OMNIBVS
NON VINO NON AQVA
SED VTROQVE
NEC EBRIVS NEC SOBRIVS
SED VTRVMQVE
ANNO
NEQVE CLAVSO NEQVE RECLVSO
MENSE
NEQVE MENSO NEQVE EMENSO
DIE
NEQVE PRIMA NEQVE VLTIMA NEQVE MEDIA
HORA
NEC LVCIS NEC TENEBRARVM

Non

Non abesse à prisca sermonis puritate,
hanc Inscriptionem Laelianam
aenigmaticè conscriptam;
quum Epitaphia aenigmaticè,
immo etiam jocosè
quandòque conscripserint
Antiqui.

Caput VIII.

SEmper, ac ubique eutrapeliae indultum est, nec constanter adeò gravitatem coluere Quirites, quin quandòque, et sibi ipsis, et Populis nil magis anxiè optantibus quàm *panem*, et *Circenses*, seriis jocosa miscentes, consuetam, ac jugem disciplinae severitatem lenirent. Id immanibus testantur etiamnum ruderibus Circi, Metae, Naumachiae, Amphitheatra, ad publicum exultantis Gentis conventum excitata,

—— —— —— cum populus frequens
Laetus thesauris ter crepuit sonum;

immo maesta vel inter spectacula gravis tragoedus,

Mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
Incolumi gravitate jocum tentavit — — —

Id innuunt antiqua tot Imperatorum numismata, consuetis hisce literis: LVDOS SAECVLARES FECIT, passim posticâ in parte insculptis. Hoc jubet Plato, Philosophos severiores monens litare Gratiis, quò jucundiores redderentur: Hoc suadent, praeter Rhetores festivam agnominationem, laetamque ironiam in molestae orationis levamen quandòque inducendam esse monentes, Philosophantium etiam Socraticorum libri,

libri, in quibus: *multa multorum facetè contineri dicta, quae vocari Apophtegmata, ut ea, quae à sene Catone sunt collecta*, refert Cicer. de Offic. Id tandem nos edocent summa illius aevi ingenia, modò brassicam, modò urticam, febrem ipsam, culicem denique carminibus celebrare, non dedignata.

Quoties ergo in Inscriptionibus idem quoque evenire comperimus, non est oppidò cur miremur, vel ita fidem eisdem adimamus, ut à veris atque antiquis eas statim relegantes, inter spurias ac apocriphas, cum Grutero, severè nimis statuamus. Non enim in Epitaphiis compingendis semper lugentes, nunquam ludentes Antiquos deprehendimus: Etenim quum Inscriptionum varia sint genera, variari quoque stylum ac verba par fuit, ut nomina essent consona rebus, neque dissimilis à themate judicaretur elocutio. Quod Consuli, quod Imperatori convenit, non plebejum, non libertum decet; nec idem, quod INCOMPARABILI DOMINO, quod VXORI KARISSIMAE, quod DILECTO FILIO, catellae ereptae, feli mortuae, sonipedi defuncto sepulchrale congruit elogium. En quomodo à puritate saeculi Augustaei quandoque aberrantes, Poetarum more, in aliqualem se libertatem vindicaverint Scriptores; quo pacto Catullum in passere Lesbiae, Ovidium, ac Statium in psitaco aliquatenus imitati quondam luserint et ipsi Publius Crassus, et Adrianus Imperator; ille in mulae suae, iste in equi sui conditoriis mirificâ mole constructis, ut post Gruter. Porcacchius de funeral. antiqu. Ferretius Mus. Lapidar. et alii:

DIIS. PEDIBVS. SAXVM.
CINCIAE. DORSIFERAE. ET. CLVNIFERAE
VT. INSVLTARE. ET. DESVLTARE
COMMODETVR. P. CRASSVS
MVLAE. SVAE. CRASSAE. BENEFERENTI
SVPPEDANEVM. HOC. CVM. RISV. POS.
VIXIT.

VIXIT. ANNOS. XI

BORISTENES. ALANVS
CESAREIVS. VEREDVS
PER. AEQVOR. ET. PALVDES
ET. TVMVLOS. ETRVSCOS
VOLARE. QVI. SOLEBAT
PANNONICOS. NEC. VLLVS
ILLI. APROS. INSEQVENTES
DENTE. APER. ALBICANTI
AVSVS. FVIT. NOCERE
VEL. EXTIMAM. SALIVAM
SPARSIT. AB. ORE. CAVDA
VT. SOLET. EVENIRE
SED. INTEGER. IVVENTA
INVIOLATVS. ARTVS
DIE. SVA. PEREMPTVS
HOC. SITVS. EST. IN. AGRO

Quicquid de hoc ſecundo pariter ſenſerit Gruterus, illud more ſuo in apocriphorum ſeriem ſtatim reponens, nec priùs (fas ſit dicere) expendens, quibus funeribus, atque inſcriptis quandòque Sarcophagis extinctos ſibi ſonipedes honorare conſueverint, ante Adrianum ipſum, magnus Macedo, Julius Caeſar, Octavianus Auguſtus; ac inſuper, quàm familiare fuerit doctiſſimo eidem Adriano, non ſecus ac ipſi olim Auguſto, in ſeriis etiam interdum ludere. Quum enim Poeta Florus ob remotas expeditiones, nimiùm Caeſari metuens, ſcripſiſſet:

Ego nolo Caeſar eſſe,
Ambulare per Britannos,

Scythicas pati pruinas;
eidem respondit:
Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.
Immo nec imminentis lethi horrore perculsus, in trepidantis animae suae solatium hoc lepidum, quodque ad rem nostram facit, Triplici Concinnitate confectum, fudit Epitaphium:

ANIMVLA VAGVLA BLANDVLA
HOSPES COMESQVE CORPORIS
QVAE NVNC ABIBIS IN LOCA
PALLIDA RIGIDA NVDVLA
NEC VT SOLES DABIS IOCOS

Non ergo lepor omnis ab Inscriptionibus exulavit apud Romanos, non solùm, quum more Agrigentorum, qui ante ipsos, equorum cadavera tam magnificè extulerunt, referentibus Strabone lib. 15. necnon Plinio lib. 8. cap. 42. immo functis volatilium corpusculis solemnes exequias quandòque ducerent; ut idem Plinius lib. 10. cap. 44. sed etiam quum hominibus parentarent; perindè ac si acerbissimum Mortis ictum, despectui habendum esse, posteris indicarent; ut è subiectis, quibus Spurii suspicionem non ingerat Gruterus, constare poterit. E Liceto de recondit. Antiqu. Lucern. lib. 6. post Apian. Gruter. et al.

GENVTIVS. ORATA
ROM. PISCATOR
MALEDICTVS. ILLE. PISCIS
QVI. SPINA. ME. CONFIXIT

HEV.

HEV. MONS. LVCIS. ET. TV. RIPA
CVCNCTIS. PORTVM. MORTEM. MIHI

E Ferretio Muf. Lapid. lib. 2. mem. 42. post Gruter. p. 637. & al.

VRSVS. TOGATVS. VITREA. QVI. PRIMVS. PILA
LVSI. DECENTER. CVM. MEIS. LVSORIBVS
LAVDANTE. POPVLO. MAXIMIS. CLAMORIBVS
THERMIS. TRAIANI. THERMIS. AGRIPPAE. ET. TITI
MVLTVM. ET. NERONIS. SI. TAMEN. MIHI. CRE-
DITIS
EGO. SVM. OVANTES. CONVENITE. PILICREPI
STATVAMQ. AMICI. FLORIBVS. VIOLIS. ROSIS
FOLIOQ. MVLTO. ADQVE. VNGVENTO. MARCIDO
ONERATE. AMANTES. ET. MERVM. PROFVNDITE
NIGRVM. FALERNVM. AVT. SETINVM. AVT. CAE-
CVBVM
VIVO. AC. VOLENTI. DE. APOTHECA. DOMINICA
VRSVMQVE. CANITE. VOCE. CONCORDI. SENEM
HILAREM. IOCOSVM. PILICREPVM. SCHOLASTICVM
QVI. VICIT. OMNES. ANTECESSORES. SVOS
SENI. DECORE. ADQVE. ARTE. SVPTILISSIMA
NVNC. VERA. VERSV. VERBA. DICAMVS. SENES
SVM. VICTVS. IPSE. FATEOR. A. TER. CONSVLE
VERO. PATRONO. NEC. SEMEL. SED. SAEPIVS
CVIVS. LIBENTER. DICOR. EXODIARIVS

E Labbe. Thesau. Epitaphior. part. 9. Epit. 41.

D M

C. IOCVNDO. C. F. EXQVEST. QVI. XXII ANNIS VIXIT

ET SEPTIES SPECTANTIBVS PVB. IMPERATORIBVS
SER. GALBA OTHONE SILVIO AVLO VITELLIO ET P. R.
SALTAVIT CANTAVIT ET PLACVIT PRO IOCIS QVI-
BVS
CVNCTOS OBLECTABAT SI QVID OBLECTAMEN-
TI APVD VOS EST
MANES INSONTEM REFICITE ANIMVLAM
FAVSTVS NVNC INFAVSTVS PVERO ET
SIBI FECIT

Faustus nunc infaustus. Sic *Tiberium in Tiberim*, do Tiberii cadavere, exclamasse quondam Populum Romanum, scribit Suetonius.
Ex Occone Inscript. vet. in Hispan. p. 5. Inscript. 5. post Apian. Moral. etc.

CL. CORNELIO SVVIANO CL. AVR. SVC
VIANI F. SVM EGO IVSTINA VXOR...
TVTA FIVNT ET HAEC LIBENTER ET
QVOTIENS POTO TOTIENS PROPINO ET
QVOT POCVLA SVMIT SVMO QVON
DAM VIXIMVS CONCORDES O CON
IVNX S. T. T. L.

Cui quidem, tanquam affine, nimavis discors in tantâ bibendi concordiâ, hoc addi posset, reluctante et ipso Grutero.
E Porcacch. Funeral. Antich. p. 18. Boldon. de Epigraphic. etc. p. 591. post al.

OHE HIC VIR ET VXOR NON LITIGANT
QVI SVMVS NON DICO
AT IPSA DICAM HIC EBRIVS EBRIVS
ME

ME EBRIAM NVNCVPAT NON DICO AMPLIVS
HEI VXOR ETIAM MORTVA LITIGAT?

E praedict. Labbe ibid. par. 9. epit. 37.

HEIC IACET AMPHORA VINI

Ex cod. et è Ferret. d. Mus. Lapid. lib. pr. mem. 48.

DIS. MANIB
IVLIAE. FELICVLAE
CONIVGI. BENE
MERENTI. EIVSDEM
FILIO. NEPTVNALI. PATER
FECIT. EVARISTVS. PVBLIC
IVLIANVS. SIBI. ET. SVIS
POSTERISQVE. EORVM
HOSPES. AD. HVNC. TVMVLVM. NE. MEIAS.
OSSA. PRECANTVR.
TECTA. HOMINIS. SET. SI. GRATVS. HOMO. ES
MISCE. BIBE. DA. MI

Cui assimilatur sequens cippus marmoreus, repertus anno 1603. Romae in vineâ cujusdam cupedinarii, ante vineam Incoronatorum, extra portam D. Pancratii, ut è schedis Zaratini Castellinii apud nos etc.

CAECILIVS
ET. Ɔ. L. FLORVS
VIXIT. ANNOS. XVI
ET MESIBVS VIII. QVI
HIC MIXERIT. AVT

CACA-

CACARIT, HABEAT
DEOS. SVPEROS. ET
INFEROS. IRATOS

E praedicto Labbe ibid. part. 9. epigr. 235.

VIVVLI POTATORIS

DOCTIBIBVS IACET HIC IS QVI DVM VITA MANEBAT
NON MERVIT DICI VIVVLVS AT BIBVLVS
NAMQVE VIDENS TVMIDOS PER TOT VINETA RACEMOS
OMNIA POTIPOTENS VINA VETVSTA BIBIT
GRANDINE PLVS SOLITO GRANDI VINDEMIA SICCIS
EXHAVSTISQVE CADIS TOTA ET VBIQVE CADIT.
VIVVLVS EXCLAMANS MISERO SPES ERGO BIBENDI
OMNIS ADEMPTA MIHI? SIT MEA VITA MORI
ET VERE MORIENS HAEC VERBA NOVISSIMA DIXIT
MALO MORI NVNC QVAM VIVERE NEC BIBERE

Ex eodem ibid. Epit. 115.

VIXI EDI ATQVE BIBI LVRCO MERVS ATQVE PROPINO
HEV MIHI QVOT CVRIS VITA PERACTA FVIT
QVI LEGIS HAEC DIVAE BONA VERBA PRECARE VACVNAE
NVNC SALTEM VACVO DONET VT ESSE MIHI

Ex

Ex Apiano p. 205. nouiss. Ferret. loc. quo sup. lib. 3. mem. 36

DIS . MANIBVS
SEXTI . PERPENAE . FIRMI
VIXI . QVEMADMODVM . VOLVI
QVARE . MORTVVS . SIM . NESCIO

E Ferrario viro Cl. de Lucernis Sepulchr.

ABITE HINC PESSIMI FVRES
VOS QVID VOLTIS VESTRIS CVM OCV
LIS EMISSITIIS
ABITE HINC VESTRO CVM MERCVRIO
PETASATO CADVCEATOQVE
DONVM HOC MAXVMVM MAXVMVS OLYBIVS PLO
TONI SACRVM FACIT

Potuit ergò, citra posthabitae majestatis antiquae notam, ad libitum ludere in hâc Laelianâ Inscriptione prudens Agatho, quoties gravitatem potiùs, quàm lusum haud sapiant Aenigmaticae Inscriptiones, subque admirandorum magis, quàm irridendorum antithetorum velamine summae arcana sapientiae non condantur, perspicacibus ingeniis detegenda, ignavis verò obumbranda; cui rei, in tradendis Scientiarum praeceptis, prospexisse primos earundem Promoscondos, in proemio abundè significavimus. Sanè id apertè liquet ex sequentibus, quas à Priscis editas fuisse, haud est ambigendum:

E dicto Labbe ibid. sub AELIA nostrâ quod in Epitaph. 3. in fin. post al.

D. M.

VER-

VERVEX. ET. PVERI. PVER. VNVS. SPONSA. MARITVS
CVLTELLO. LYMPHA. FVNE. DOLORE. CADVNT.

E praedicto Ferret. lib. 5. memor. 1. in not. post al.

MATER. FILIVS. ET. FILIA
SOCER. GENER. ET. NVRVS
AVIA. ET. NEPTIS, VIR. ET. VXOR
PATER. ET. FILIA. FRATER. ET. SOROR
VNO. EODEMQVE. TEMPORE
AC. FATO. SVBLATI. SVNT
QVAERITVR. QVOT. SINT
SVNT TRES

EL abbe, Ferret. post omnes.

PATER. CVM. FILIA
FRATER. ET. SOROR
SOCER. ET. NVRVS
HIC. TANTVM. DVO. IACENT

Ex Apian. et aliis, nouissimè è Ferret. qui fatetur, haec carmina sapere Aenigma, parvàque clarescere luce, lib. 2. memor. 45.

D. M

TAYTA
NERONI. FAMA. BARBA
CVIVS. ROMA. LIBERTIS. ADSERIT
AMISSOS. ORNAT. TITVLIS. EN. ASPICE: CVNCTOS QVOS.

QVOS. HABET. INCOLVMES. FOVET. AMORE. PARI
SVPREMAS. ERROR. NE. POSSET. RVMPERE. CERAS
ARTE. SVA. CAVIT. CLAVSIT. OPERTA. FIDE
EXCIPIET. MANES. SVA. QVI. SINE. LITE. RELIQVIT
LAVDABIT. STVDIVM. CVI. TVA. CVRA. CAVET

Ex eod. Apiano pag. 489. Inscript. 4. quam interpretatur de Elementis, estque ferè per totum vitiata:

SVM VAGVS. ASSIDVE TOTO CIRCV NVMINIS ONVAVAE
NEC ME DIVERSI COGIT DISTANCIA MVNDI
ALTERIVS TITVLO SVBDERE VOTA REVM
VERI CETA FIDES TIBVRI VEXIT IN ARCE
ETIAM ONVAVAE NVMEN RIT QVARE O DIVA PARENS
AVSONIA IN TERRA.

E quibus (neque ipso discrepante Grutero) licet nobis colligere, Aenigmaticas quoque antiquitus prodiisse quandòque Inscriptiones; quapropter parum, immo nihil negotii facesseret, si Inscriptioni nostrae obiiceretur, quòd non luserint, quòd aenigmaticè nunquam se gesserint in Inscriptionibus Antiqui, quum in contrarium liqueat.

Quid enim? An lege aliquâ cautum, seu conjuratum fuit unquam Mortalibus, seriis atque gravibus verbis religiosè adeò inhaerere, ut ad arguta quandòque ac ludicra divertere, execrandum facinus, aquae et ignis interdictione omninò delendum judicaretur? Quot earum in dies offendimus, figurarum atque troporum urbanâ novitate lascivientes? atque iis pariter, quae purâ serietate nitent, fere praestantes? Multae siquidem Metaphorâ gaudent.

E Grutero p. 25. num. 10.

IVNONI
IVNIAE. C. SILANI . F.
TORQVATAE
SACERDOTI VESTALI
ANNIS LXIIII
CAELESTI PATRONAE
ACTIVS L.

E Schedis Ant. Bosii:

ab ipso repert. in pavimento S. Ceciliae Transtyb.

D M

POMPE
IAE MAXI
MAE MEMO
RIAE AE
TERNAE
DEAE ET
VITAE AS
PIDI

Multae Hyperbole turgent; ut illa sibi à Semiramide confi-cta, in lib. de Equiu. Xenophonti falsò adscripto:

MIHI PATER IVPITER BELVS
AVVS SATVRNVS BABYLONIVS
PROAVVS SATVRNVS AETHIOPS
ABAVVS SATVRNVS AEGYPTIVS
ATAVVS COELIVS PHENIX OSYRIS

AB

AB OGYGE AD MEVM AVVM
SOL ORBEM SVVM CIRCVMLVSTRAVIT SEMEL
AC TRICIES ET CENCIES
AB AVO AD PATREM SEXIES ET QVINQVAGIES
A PATRE AD ME BIS ET SEXAGIES
COLVMNAM TEMPLVM STATVAM IOVI LELO SOCERO
ET MATRI RHEAE IN HOC OLIMPIO SEMIRAMIS
DICAVIT

Ut illa vulgò decantata aequè ac irrisa Naevii Poetae, *arrogantiæ Campanæ plena*, ut inquit Gellius, lib. pr. cap. 24.

MORTALES FLERE SI IMMORTALES FAS FORET
FLERENT DIVAE CAMOENAE NAEVIVM POETAM
ITAQVE POSTQVAM EST ORCINO TRADITVS THESAVRO
OBLITEI SVNT ROMAE LOQVIER LATINA LINGVA

Multae Repetitione redundant, eo pacto quo Cicero quondam: *O Lares, miseri Lares.* et illud Cornificii: *Commotus non es, cum tibi mater pedes amplexaretur? non es commotus?* Sic igitur: E Grutero pag. 352. n. 5.

ANICIAE. FALTONIAE
PROBAE. AMNIOS. PINCIOS
ANICIOSQVE. DECORANTI
CONSVLIS. VXORI
CONSVLIS. FILIAE
CONSVLVM. MATRI
ANICIVS. PROBINVS. V. C.
CONSVL. ORDINARIVS
ET ANICIVS PROBVS. V. C.
QVAESTOR. CANDIDATVS

FILII. DEVINCTI
MATERNIS. MERITIS
DEDICAVERVNT

Ex eodem pag. 97. num. 1.

FEBRI. DIVAE. FEBRI
SANCTAE. FEBRI. MAGNAE
CAMILLA. AMATA. PRO
FILIO. MALE. AFFECTO. P.

Aliae Commutatione ludunt, eâdem figurâ, quâ Caesar quondam dictus est: *omnium virorum mulier, et omnium mulierum vir*, ut e Svetonio: ex eodem p. 706. n. 5.

SEIA. T. F. MARCELLINA. SIBI. ET
VIBENNIO. MARCELLINO. FILIO
VIVA. POSVIT
QVOD. VOLVIT. ET. POTVIT. QVOD. POTVIT. ET. VOLVIT

Aliae Antithesi, seu oppositione gestiunt ita: Ex eodem Gruter. p. 994. n. 3.

SEPTVMIAE. L. L. SEVERAE
L. POBLIC. ABSCANT.
PRO. MERITIS. PARVM
PRO. FACVLTATE. SATIS.

Sic de Galbâ et Cottâ aliàs: *Alter nil habet, alteri nil satis est*. Ut innumeris supersedeam, e quibus observanda occurreret Prosopopeja, ejulatio seu Exclamatio, Salutatio, Imperium, Apprecatio, Execratio, Objurgatio, ac similia perquàm vulgata, quae

ta, quae totam venustatem, gratiam, ac leporem Inscriptis Marmoribus impertiuntur.

Quòd si e jocosis ad obscura divertere libet, cui non apparent Aenigmatibus ipsis obscuriores tot antiquae Romanorum Notae, quibus quandòque unicâ elementari literâ integrum denotatur verbum? immo earum pluribus in unum coactis, perfectus sensus, sermo integer significatur? Tales profectò cernebantur, quae Sibyllae jussu in arcu Ianiculi quondam scalptae occurrebant, erantque P. P. P. E. V. V. V. V. V. V. V. F. F. F. F. quae sic legebantur, Pater Patriae Profectus Est, Venit Victor Validus, Vicit Vires Vrbis Vestrae, Ferro Fame Flamma Frigore. Tales illae, quas adnotant Mazochius, & Apianus pag. 260. prim. ac alii P. I. C. P. P. R. V. idest: Pace Ianuas Clausit, Pace Populo Romano Vbique. Tales denique, quibus in Iure Civili, publicis in legibus, in Plebiscitis, in Actionibus, in Edictis perpetuis, usos fuisse Romanos, animadvertunt ac docent idem Mazochius ac caeteri; ut eas, tanquam protritas nimiùm, atque obvias mittam, quae à nemine, qui primoribus vix labiis inscriptorum lapidum eruditionem attigerit, ignorantur, veluti V. F. Vivens fecit. D. S. P. De suâ pecuniâ. S. T. T. L. Sit tibi terra levis S. A. D. Sub asciâ dedicavit. Veluti E. T. H. F. Ex testamento heres fecit. L. D. D. D. Locus datus dono Decurionum, atque hujus farinae innumeras propè, ac infinitas, quibus, cùm in referendis, tùm in declarandis, praestat nuperus Author Sertorius Ursatus in refertissimo, et absolutissimo Commentario de Notis Romanorum.

Sed equidem tot antiquas Quiritum notas brevitatis potiùs, ac frequentatae cujusdam consuetudinis causâ, quàm occultandi animi gratiâ, fuisse utplurimùm interpositas existimo; quapropter tam remota hodie atque obscura eorundem animi sensa, non ex ipsarum naturâ primaevâque origine prodire, sed ex longaevâ aetatum distantiâ, morumque ac rerum obli-

vione

vione evenire potiùs autumem. Sanè quo tempore dentibus, ac unguibus *Laceravit Lacertum Largii Mordax Maevius*, notissimae cuique fuerunt quinque id significantes literae. L. L. L. M. M. quibus nulla conspiciebatur Tiburti non signata domus; et tamen hodie funditus ignorarentur, ni hujusmodi factum posteritati literis comendasset lib. 2. de Orat. eloquentiae Romanae Pater.

Idem in Inscriptionibus saepissimè contingit, quòd scilicet, sive ignoratio, sive oblivio morum, seu eventuum, in ipsis compendiosè nimis, nec non mysticè quandòque descriptorum, cùm obscuras, tùm aenigmaticas eas nobis reddat, quae aut nullatenus, aut non omninò tales à principio verè extiterunt. Ita aenigmaticum penitùs evasurum erat illud, ad Antiquorum normam, à Pascasio lepidè effictum:

Quam natura aliis mortalibus esse quieti
Jussit humum, soli haec est mihi supplicio.
Siste, et mirandum hoc miserandumque aspice; virgo,
Non virgo, tumulo non tumulata tegor;

ni primis hisce antepositis carminibus solutionem anteire jussisset:

Vestalis virgo violaui castra pudoris
Oppia, eheu, diro marmore viva premor.

Sic, ut Quintilianus lib. 8. notat, postquam evanuit consuetudo notissima Quadrantariae illius Clytemnestrae, quae praeter verba nihil meretricium habens, in convivio nemini, in toro unicuique abnuebat, aenigma factum est illud Caelii, eam à duabus Civitatibus Coo, et Nolâ, lepidè in Triclinio Coam, in Cubiculo Nolam vocitantis. Hinc ritè quidem ac scitè, qui aenigmaticam prorsus, nostraeque jure comparandam texuit, atque in Divorum Apostolorum Romae statuit, ne simili unquam casu, neque ullo tempore ejus significationis recordatio periret, eventum, dum antithetis claudit, eâdem operâ aperuit, hoc pacto:

IOAN-

IOANNE CAPVTE PANHORMITANAE
NATALIBVS RELIGIONE PATIENTIA
CONSPICVAE
CVI EXTRA PATRIAM QVAESITAE NVPTIAE
RELEGATIONEM IN LIBERTATE
COELIBATVM IN CONIVGIO
SERVITVTEM IN DOMINATV
PAVPERTATEM IN DIVITIIS MORTEM IN MEDIO
VITAE CVRSV
INFELICITER ATTVLERVNT
HOC VNO FOELIX
QVOD ROMA CVI VIVAE VIDERE NON LICVIT
MORTVAE TVMVLVM ELARGITA EST
VIXIT ANNOS. XXXXIIII. MENSES. II. DIES. VIII
OBIIT TIBVRE

Sic, quum olim vervecis domeſtici cladem mors luctuoſa trium liberorum ſubſequuta eſt, cui deinde addita eſt mater laqueo ultrò ſublata; poſtremò idem dominus, pater, ac maritus, ſpectato ferali ac tragico apparatu, quúm minor eſſet doloris argumento, dolore periit; non fuit aenigmaticum ingenioſum illud, quod modò protulimus:

Vervex, et pueri, puer unus, ſponſa, maritus,
Cultello, lympha, ſune, dolore cadunt.

Abiit verò in Aenigmatis naturam, poſtquàm temporis decurſus caſum obliteravit. Quamdiu par illud Conjugum apud Tornacenſes celebratum eſt, quod Religioni nomen dedit, dum Uxor Clarae, Vir autem Franciſci inter minores Inſtitutum amplexus eſt, et ſuo uterque Coenobio praefuit, non aenigmaticum, ſed jocoſum fuit illud:

Cy giſt le pere, cy giſt la mere

Cy giſt

Cy gist la soeur, cy gist le frere
Cy gist la femme, et le mary
Il ny à que deux corps icy.

Donec innotescat apud nos Bononienses, Proculum quendam, è Campanariâ D. Proculi Turri praecipitem actum, ponè eandem fuisse tumulatum, non recensebitur inter Aenigmatica illud:

SI PROCVL A PROCVLO PROCVLI CAMPANA FVISSET NVNC PROCVL A PROCVLO PROCVLVS IPSE FORET

Idem statuendum est de illo Epitaphio Neapoli:

STORAX QVI VIVVS SVBIIT SEPVLCRVM
MIRVM DEFVNCTVS CARVIT SEPVLCRO

Idem de illo ad nauseam usque conclamato:

PROPTER EST EST
DOMINVS MEVS HIC MORTVVS EST

Quoties denique regionum, vel temporum distantia, ut monebam, interponitur, offunditur caligine Inscriptionis argumentum, quod vel alibi, vel olim luce clarius extitit meridianâ, ut his paucis usuvenisse noscimus:
Post Mazochium. Ex Apian. p. 241. 3.

CRESCO PERCREPAS GAV
DEO PERPLORAS INVIDE
MORERE

Ex eodem p. 99. Inscr. 5.

P. LAR-

LARTIVS P. F. BROCCVS LAR
CIA HORAEA BONEIS PRO
BATA INVEISA SVM
ANNVLA PBOBA FVI

Ex eodem p. 104. 2. iterùmque pag. 224. Inſcript. 2.

PONTIA T. PONTII FILIA HIC SVM QVAE DVOBVS
NATIS A ME AVARITIAE OPVS VENENO CON
SVMPTIS MISERAE MIHI MORTEM CONSIVI
TV QVI HAC TRANSIS SI PIVS ES QVAESO
A ME OCVLOS AVERTE

Ex eodem p. 209. Inſcript. 2.

Q. VIRI SEVERINI
ATTIA SEVERINA
ET Q. VIRIVS
O NEFAS
PARENTES

fortaſsè quòd permiſerint ipſum filium agaſonem agere, ut ſuperimpoſita figura id exprimens indicat.
Ex eodem p. 264. 2.

TROPHIMI AVG. LIB.
RELIQVIAE PVERI
QVONDAM PHRIGII
PASTORIS VIX. ANNIS
DVODETIES SENIS

NAM TERTIVS ABSTVLIT
ILLVM.

Sic in casu nostro;

——— ——— ——— *innumerabilis*
Annorum series, et fuga temporum

hanc Laelianam Inscriptionem nostram è clarâ in obscuram, è jocosâ in aenigmaticam traduxit; vel quum Laelianae Gentis, atque Agathoniae nostris in regionibus florescentis memoriam funditus delevit; vel quum Laeliae aborsum, jocosè adeò atque concinnè à deluso Agathone descriptum, ex hominum recordatione penitus evulsit:

Tantum Aevi longinqua valet mutare Vetustas.

Foeminas antiquitus
etiam praenomine, immo tribus nominibus
fuisse quandoque decoratas;
prout Aeliae Laeliae Crispidi nostrae
contigisse cernimus.

Caput IX.

QVòd Tribus foemineis nominibus noster ab ipso exordio inscriberetur Sarcophagus, omninò deposcebat Triplicis Concinnitatis, quam Author per totum moliebatur, harmonia, quâ potissimùm (non secus ac arces trigono munimine) Lapis iste, nequidquam arietantibus oppositionum viribus, consisteret, atque a praescriptâ ab Antiquis nominum oeconomiâ sese ritè exemptum, jactare posset. Attamen, utì non injucundum credimus, sic consultum ducimus, ab hoc unicè valido temperare praesidio. Iuvat, inquam, in apertum prosilire, et aliorum, quà Antiquorum, quà Recentiorum exemplo, contra adversarios, si qui adessent, umbratilem ferè pugnam committere. Non quidem, ut hâc Trium Nominum frequentiâ majorem Marmori nostro fidem conciliemus, sed potiùs, ut consensum quendam Antiquitatis, seu saltem non omnimodam repugnantiam, in signandis pari methodo lapidibus, exhibeamus.

Quot igitur, quibusve nominibus foeminae antiquitus designarentur, adeò apud Authores controversum legimus, ut nil certi pro veritate deduci posse videatur. Etenim quum Festus, ac Varro, praeter Valerium, ac Plutarchum in Problem. ad eandem contentionem, tunc temporis itidem impendentem sedandam moti, vetusta attulerint exempla pro foeminis prae-

nomine donatis; Dionysium ex opposito, Livium, caeterosque veteres Romanae historiae conditores, nunquam, seu de raro saltem, foeminas praenomine ornatas memorasse, obseruatur. Quòd si ad Recentiores, priscâ tamen eruditione pollentes, quaestio deducatur, non minùs inter sese dubiâ pugnâ certantes deprachenduntur, quidquid pro eorum concordiâ, distinguendo tempora, interiecerint nuperrimè Clar. Spanhemius dis. 6. p. 509. et seq. necnon Ursatus in Monum. Patavin. lib. pr. sect. ij. post Panvinium, primum ejusdem distinctionis authorem de Antiq. nomin. cap. de mulier. nomin. p. 79. ad fin. Quum enim Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 5. cap. 4. scriptum reliquisset: *Romanas Mulieres sine cognomento, solis praenominibus, adiecto nomine denominari*; Robortellus contra de Roman. nomin. (ni aliter senserit in emendat. lib.) scripsit: *mulieres à nomine gentis vocatas fuisse, et uno tantùm nomine*; ideircòque praenomine caruisse. Quumque adversus Robortellum, quasi pro Alexandro decertaturus, insurrexisset Sigonius de Nom. Roman. probans, tum Authorum, tum Lapidum testimonio, foeminas antiquitus non solo nomine, sed praenomine nomini addito fuisse vocitatas, in Sigonium ipsum irruit Ioseph Castalio I. C. in advers. foem. praenom. assert. Disput. pr. 6. 7. et seqq. negans omninò foeminas praenomen unquam assumpsisse, sed cognomen tantùm nomini gentilitio adiectum, in hujus fidem tot inscripta subiiciens marmora, ut cum Vate voluisse videatur

——— ——— ——— *imponere Pelion Ossae.*

Litem dirimere videtur solùm Vossius lib. prim. de Analog. cap. 7. p. 28. dum utrique opinioni favens, ac utramque reiiciens, suam prodit his verbis sententiam: Quòd *quemadmodum in eo falluntur multi, quòd foeminas praenomine caruisse existimant, ita in illo quoque lapsi sunt, quòd eas cognomen habuisse non arbitrentur.* Adstipulatur Servius in Miscellan. cap. 15. rem pleniùs expendens, clariùs explicans, atque per tria di-

stincta

stincta capita probans, primò foeminas praenomine ac nomine, deinde nomine et cognomine, tandem praenomine nomine atque cognomine fuisse praeditas. Et primò pro praenomine nomini addito, mulieribus, quas ab antiquis lapidibus sumptas adducit Servius, has, ab Inscriptionum Collectoribus à nobis selectas, hic addimus, nimirùm è Mazochio Epigram. Antiq. Urb. p. 42. 1. 103. vers. 5. 31. 4. vers. 111. 3. 92. vers. 2. L. FLAVIAM. M. MVNATIAM. CL. ALEXANDRINAM. VLP. ANTIOCHIDEM. Ex Apiano Inscript. Sacros. Vetust. p. 29. 3. 219. 3. 137. 5. 371. 1. 450. 281. 2. post Mazoch. eam diversif. p. 24. 444. 4. C. ANNINIAM. C. MARTIAM. L. SERGIAM. M. SECVNDINAM. AEL. GANNAM. CL. FESTAM. IVL. MVRIAM. IVL. NONNAM. E Lazio Commentar. Reipub. Rom. lib. 2. p. 336. in fin. lib. 3. p. 405. L. PRAESENTINAM. AEL. ANDENNAM. E VVelsero Rer. August. Vindelic. comment. p. 188. 217. CL. IVLIANAM. VAL. MARCIANAM. E Sertorio Ursato Monum. Patav. p. 53. P. SERVILIAM. quae pariter ad probandum praenomen in foeminis, eidem plurimum lucis foeneratur. E Ferretio Mus. Lapid. L. LARTIAM. E Spon. Recher. des Antiqu. de la Vil. de Lyon. p. 107. T. seu STAT. TITIOLAM. E Io: Lucio post memor. Istor. di Tragur. p. 32. col. 2. 35. col. p. AET. GEMEETINNAM. et L. VALENTINAM. VLP. INGENVAM. ac tandem è Gruter. tot inter alias. AEL. ANTIOCHIDEM, cui dum Inscriptionem dicat L. quidam Septimius, indicat, non sine exemplo esse Lucios inscribentes Lapides Aeliis, ut in casu nostro Lucius Agatho Aeliae Laeliae Crispidi hunc sacravit.

Pro Cognomine verò nomini admoto, triginta quae sequuntur, è decem tantùm Mazochii paginis decerptae, satis innuunt, quot ex Opere universo, necnon aliunde collectae, hic addi possent. Sunt autem QVINTILIA HEDIA.

QVIN-

QVINTILIA PACVTA. IVALIA SPROGIS. ACILIA OLIMPIA. LVSIA GLAPHIRA. SCANTIA PRIMITIVA. AVRELIA FORTVNATA. MARIA AMPLIATA. PECVVIA SPERATA. CATILIA MARCIANA. IVLIA POTITA. CLAVDIA ONESIMA. AVSIA ANGA. POPPAEA VENERIA. IVLIA PHILVSA. TERENTIA THALVSA. DECIA TRIPHENA. GRAXIA ALEXANDRA. CLAVDIA PIETAS. TREBICIA MELISIA. VLPIA VICTORINA. VETIA MARCELLINA. IVLIA HIEROPHILA. AVRELIA ZOSIMA. AVRELIA SEVERA. MENEIA LESBIA. PROPERTIA TRIPHOSA. PROPERTIA DINAMA. CLAVDIA MAGNA. ACILIA IVSTINA.

Pro praenomine tandem, nomine, atque cognomine foeminis non denegato, praeter eas, quae habentur ab eodem Servio cap. 7. à pag. 119. ad 138. (quinque vix detractis) has obiter inspexisse sufficiat, quae à supra laudatis Authoribus depromptae fuerunt, nimirum è Mazochio jam dicto, ubi sup. p. 149. 2. 147. 5. 21. vers. in fin. 109. vers. in fin. L. ARCIA HEDIA. L. AELIA PRISCA. M. VALERIA PRINA. Q. SALVSTIA ATHENAI. Ex eodem Apiano ubi sup. pag. 187. 4. 309. 3. 455. 2. 21. in fin. 361. 6. 369. 5. C. LAVINIA RVFINA. C. APVSVLENA RVFILLA. L. AELIA MODESTINA. L. GEMINA MYRINEN. M. AELIA ANNIANA. T. TITIA LEMOTINA. Ex eodem Lazio ibid. pag. 1254. 925. 411. et iter. 630. T. PETRONIA FLORINA. T. PETRONIA RVFINA. P. AELIA MARCELLA. E Sertorio Ursato d. Monum. Pat. lib. pr. sect. 4. pag. 181. num. prim. C. ATTIA PRIMA. Ex Andreantonello Ausculan. Histor. lib. 4. pag. 180. C. OFFIA BASILLA. E Vidriano Hist. Mutin. lib.

tin. lib. 2. pag. 107. PEDVCEIA IVLIANA. E Io: Lucio delle Memor. Istor. di Tragur. in fin. in Inscript. pag. 18. col. 2. post Gruter. pag. 680. 4. N. IVNIA MARCELLINA. Ex Aldosio tandem haec nostrae, quae numero superiori aggregatae, in hoc mutuam sibi lucem commodant, atque hujusmodi usum, et Bononiae, et ubique locorum inolevisse satis manifestant. Sunt autem. FL. TIGRIS AGATAMER. SEX. AVIDIA PRIMA. SAL. OFFICIOSA PRIMA. quibus addimus è Musaeo nostro L. FILATIAM PRISCAM.

Patet ergo ex adductis hactenus, foeminas antiquitus tribus fuisse crebrò vocatas nominibus, quòdque ideò injustè carperetur Agatho, qui tribus pariter suam Laeliam condecoravit; seu quòd ita verè fuerit, ut putamus; seu quòd pro Triplici Concinnitate ubique servandâ, Ac iam solùm, figurâ Pleonasmo, Aeliam Laeliam, ut alias dictum, vocaverit. Quòd si iterum opponeretur, relata hucusque exempla ad rem haud omnino facere; probare siquidem in foeminis tria quidem nomina, sed primum semper è tribus, vel praenomen esse, vel ad formam praenominis, primâ tantùm, ac capitali literâ designatum conspici, ubi Aeliae nomen per extensum, atque completè positum, figuram potiùs alterius nominis, quàm praenominis induit; ad tollendam enervem hanc obiectionem, sexcenta possem ego subtexere exempla, ubi primum nomen ex tribus, non succisis, non mutilis, sed integris literis sit conscriptum: pro quibus tamen hac solùm Inscriptiones nunc sufficiant:

Ex Apiano loc. quo sup. pag. 63.

L. POBLICVS
HEBENVS
SIBI ET OPTATAE
MVLIAE CONTVB

ET

ET ELLIAE FIRMAE
PISAINAE
L. PVBLITIVS
PRIMVS SIBI
ET SECVNDAE
TVRPIAE VXORI
ET ESIAE CRESCENT.
L. CALEPIVS
HERACLIAE

Dummodò tamen non erraverit marmorarius, seu descriptor, qui *Pisainae* dederit pro *Pisanae*; à Pisis Tusciae scilicet, seu à Pisâ in Elide, Civitate hujus Elliae Firmae.

E Mazochio ibid. pag. 11. vers. 3.

D. M. E T

SOMNO AETERNALI SECVRITATI MEMORIAE
Q. PERPET. AELIAE FLAVIAE MELITANAE
Q. V. AN. XXI. M. III. D. X.
T. FL. HYMNVS CONIVGI SANCTISS. DVLCISSI-
MAEQ.
CVM QVA VIX. ANN. XIII. ET
TT. FIL. COL. MARCELLVS ET TITIANVS ET
FLAVIA T. F. AMPELLI MATER PIENTISS.
SARCOPHAGO SICIL. CVM OPERE ET BASIBVS
FECER. ET CONSECRAVERVNT IDIBVS AVGV-
STIS
PVDENTE ET ORFITO COS.
SIMVS MANV MEA VTRAQ. SCRIPSI

Nisi ab insulâ Melitâ, ipsius patriâ, dicta fuerit haec Aelia Flavia, corru-

corruptè tamen, Melitana pro Meliteâ seu Melitensi. Ex eodem Apian. ibid. pag. 160. 1.

D. M.

AVRELIAE LVCIDAE GRATAE
DVLCISSIM. ADOLESE. INTE
GERRIMAE. VENVSTISSIMAEQ.
M. AVREL. LVC. PIVS. INFELI
CISSIMVS. PATER. INSPERATOS
TVMVLOS. DEDIT. MIS.
VLTQ. DONA

Ex eod. Mazochio. ibid. pag. 164. vers. 2.

MEMORIAE AVFIDIAE DAPHNAE TRVDENTINAE
CONIVGI KARISSIMAE. B. M. CN. CALCEIVS PER
PERNIANVS MARITVS FEC.

Nisi subsit vitium in marmore, seu error in descriptore, prodente *Trudentinae* pro *Tridentinae*, ita ut potius patriam, quàm cognomen hujus foeminae indicet, ut duabus aliis observatum est.

E lo: Lucio pag. 28. col. 2. n. p. post Grut. pag. 672. n. 6.

AVRELIAE L. F. STATILIAE
CLAVDIANAE
QVAE VIXIT ANNO. I. MEN
SE. I. DIE. I.
FILIAE
HERODES. ET. IVLIANA
PARENTES

E Vvolfang. Lazio. pag. 1172.

L. CANCIVS SECVNDVS V. F. SIB
ET CANCIAE IVNIAE BONIAE. V
XORI ET CANCIAE L. F. BONIATAE

E Mazoch. pag. 84. et Apian. 229. 1. ponen. Avitae non Enice.

COCCEIAE ENICE DOMITIAE
F. CHRYSAE
VIX. ANN. XXIV. M. IIII. D. XXIV.
HERMES COCCEIAE BASSAE
ACT. CONIVGI BENEM.

Post Mazoch. pag. 57. 5. et alios, Fortun. Scacchus in Sacros. Eleocrism. myroth pag. 785.

FABIAE ACONIAE PAVLINAE CE. FILIAE ACO-
NIS CATVLLINI. V.
C. EX PRAEF. ET CONSVLE OR. VXORI VET-
TI PRAETEXTATI
V. C. PRAEF. ET CONSVLIS DESIGNATI SACRA-
TAE APVD ELEV
SINAM DEO IACCHEO CERERI ET CORAE SA-
CRATAE APVD AEGI-
NAM DEABVS TAVROBOLITAE ISIACAE HIERO-
PHANTRIAE
DEAE HAECATE GRAECO SACRANEAE DEAE CE-
RERIS

Ex

Ex cod. Apian. pag. 427. 2.

PLVTONI ET
PROSERPIN
AE FLAVIA
VENERIA
BESSA. EX
VISV. AEDEM
D. S. P. V. L. S. L. M.

Ex cod. Mazoch. pag. 135. 4.

VIBIAE AVRELIAE SABINAE D. MARCI AVG. F.
HELIODORVS LIB. ET PROC. PV.

Quod et in aliis Imperatorum uxoribus, posterioris praecipuè temporis, Gordianorum scilicet, inferiorumque etiam obtinuit, perinde ac si trium nominum apellatione vel ipsae nobilitarentur aequè ac masculi, juxta illud Ausonii:

— — — — *tria nomina nobiliorum,*

ut in sequenti è Mazochio desumptâ pag. 27. et ab Ursat. menor Patavin. pag. 324. eam mutilante in fine:

FVRIAE SABINAE TRANQVILLINAE SANCTISSIMAE AVGVSTAE
CONIVGI DOMINI N. M. ANTONI GORDIAN PII FELICIS IN
VICTI AVGVSTI DECVRIALES AEDILIVM PLEB. ET PLEB. CERIA
LIVM DEVOTI NVMINI MAIESTATIQVE EORVM

Et passim in Numismatibus, ubi habemus IVLIAM AQVILIAM SEVERAM. MARCIAM OTTACILLAM SEVERAM. SALVSTIAM BARBIAM ORBIANAM. FLAVIAM MAXIMAM FAVSTAM, et alias, quae singulae in nostro cimelio argenteo reservantur.

Ex eodem pag. 318. in fin. et priùs 29. 5.

CINERIBVS HAMILLAE ALPIONIAE QVINTAE FESTVS M. SESEPTIMI GALLI DISPEN. CONTVBERNALI. B. M. F. ET SIBI

Ex eodem Ferret. loc. qui supra lib. 2. mem. 30. pag. 125. in Not.

LAVCADII. MEL
HELVIDIAE BVRRENIAE
MODESTAE
NEPOTI. HELVIDI. BVRRENNIAE SE
VERAE. C. F. PVDICITIA. SAPIENTIA
INNOCENTIA. OMNIBVS. RETRO
MEMORABILI. OB. MERITVM. AMO
REMQVE. EIVS. CIVES. INTERAM
NANAE. CIVITATIS. VTRIVSQVE
SEXVS. AERE. CONLATO. POST
OBITVM. HVIVS
PATRONAE
DEDIC. XVIII. KAL
FEBR.
VRSO. ET POLEMO
COSS.

Ex

Ex Apian. pag. 127. p.

MARIAI FIL. PROCVLAI
MARIA L. FILIA PROCILLA
SORORI PIISSIMAE
NOMINE SVO ET
MARIAE MVSAE MATRIS ET
MARIAE CAECILLIAE PROCILLAE
FILIAE SVAE ET
M. CAECILI CAECILIANI
MARITI SVI

Ex eod. pag. 183. 4.

M. VARINVS M. F. PHILIPPICVS
ORN. DEC. Q. ANN. T. PETRO
NIAE RVFINAE PHILIPICAE
FILIAE SVAE. SI QVIS IN EA
ARCA ALIVM POSVERIT Q. Q.
SS. DABIT COLONIAE POINAE

Ex eodem Ferret. lib. 3. mem. 53. pag. 223.

PORCILLAE. VESTINAE. CANANIVATI
DECORE. FORMAE [illegible] FLORE [illegible]
[illegible] VESTAE [illegible]
ADSCRIPTAE [illegible] EHEV [illegible] PAT [illegible]
ABSVMP [illegible] LENTO [illegible]
TORQ [illegible] MATER

Ex Apian. pag. 363. 3.

AVIL.

AVILIA STEPEFLORIS L. AVILIO
RVFAE AVILIAE GEMELLAE
PARENTIBVS CARISS. VIVA. P.

E Mazoch. ubi sup. pag. 47. 3.

TIRANNIAE ANICIAE IVLIANAE C. F. CONIVGI Q
DODI HERMO
CINIANI OLIBRIVC. ❦ CONSVLARIS CAMPANIAE
PROCONSV
LIS AFRICAE PRAEFECTVS VRBIS ❦ PRAEF. PRAET.
ILLIRICI.
PRAEF. PRAET. ORIENTIS. CONSVLIS ORDINARII:
FL. CLODIVS
RVFVS. VP. PATRONAE PERPETVAE.

Ex eod. pag. 169. 2.

D. M.

TITVLEIA. Ↄ. L. THOMAE SIBI ET. Q. MVRCIO FAV-
STO CONIVGI SVO
ITA ET SVIS POSTERISQVE EORVM
IN FRONT. XVIS. IN AGR. P. XXIIII.
TITVLAEIAE FLAVIAE GALENE SORORI SVAE SE
VIVA DONAVIT

Ex Apian. pag. 66. 2.

HONORI
POSTVMIAE P. F.

VI-

IVVENTI SECVND. COS.
PAVLAE
VIBIA L. F. SALVIA VARIA
CVM NVMIIS
ALBINO ET VARIA
ET L. ROSOIOLLIAN. PACVLO
SALVIO IVLIANO FILIIS

E Chiflet. Nov. Lumin. ad Vindic. Hiſpan. pag. 356.

EVPHEMIA. FLAVIA. DOMITILLA
PIENTISSIMAE. MATRI. SVAE
QVAE OBIIT. ANNORVM. XXX
FIERI FECIT

E Reineſ. ſupplem. ad Grut. claſ. 9. Inſcr. 16.

D. M. S.

CLAVDIAE. ACTES. AVG. L. AVCTAE
TI. CLADIVS. DEMETRIVS. ET
TI. CLADIVS. EVPASTVS
CONLIB. OPT. DE. SE. MERITAE

Ex eod. ibid. pag. 653. 6.

Neronae in Illirico.

D. M. S. ANNAE ANEE VICTO
RINAE PIETATIS INCOMPARA
BILIS VIXIT ANN. XX. M.
I. DIES XV. IVLIVS VICTOR. ET
ANNEA SVRA PARENTES INFE

LICISSIMI.

Ex cod. p. 676. 2.

Polae.

SERGIA. FLAVIA. LVSINIANA
MIHI. ET
Q. FLAVIO. LVSINIANO. DVL
CISSIMO. NEPOTI. EX. FILIA
QVAE MEI AMANTISSIMA FVIT INTEGRA
MONVMENTVM CONSTITVI

Ex eodem pag. 778. 2.

Romae. Via Appia inven.

FLAVIAE TROPHIMAE
BENEDICTAE
M. SERGIVS PHOEBVS CO
IVGI SANCTAE CVM QVA
VIXIT ANN. XL. IN QVIBVS
ANNIS NIHIL VNQVAM
DE EA QVESTVS EST

Ex cod. pag. 645.

Romae. in Aedib. Cesiorum.

OSSA
TERENTIAE HIRE
SALVIAE
A. TERENTIVS. A. L.
SELEVC. LECTICAR.

Ex

Ex Aringhio Rom. Subter. lib. 3. cap. 33.

P

REDEMPTA
POLIXENE
L. SEPTIMIVS AVLV
ZANVS 7. COH. VI. VIG.
OCTAVIE PETRONIE
DEMETRIE CONIVGI
DVLCISSIME BENEME
RENTI FECI

Quibus tandem respondet his duabus sequentibus Bononia. Ex Alidosio Inscript. Bonon. pag. 64.

IVLIA ADRODITE QV. CEI
FILATIA PIENTISSIM.

Reperta noviter in agro Bononien. in Communi, cui nomen: S. Vincenzo, prope fines Ferrar. Comitatus anno 1671. nunc inter alias Villae Tusculanae March. Bevilaquae.

ARBITRATV
FLAVIAE C. F. FLACILLAE
POLLAE
EX TESTAMENTO

Porrò tot hucusque hic coactis lapidibus, ceu aggere firmissimo vallata, sese denuò tueri posset Inscriptio nostra, quando-

cunque novâ oppositione quateretur. Si denuò, inquam, opponeretur, Aeliam, ac Laeliam duo diuersa esse Gentium nomina; atque ab omni rectâ nominum, in Sarcophagis distribuendorum, oeconomiâ prorsus abhorrere, unam tantùm foeminam duobus appellari Gentium nominibus; in contrarium enim illicò tacitè perorare possent jam memorati lapides, iterùm eos levi compendio percurrendo. Exhibent siquidem nobis confestim AELIAM FLAVIAM MELITANAM, duobus Gentilitiis nominibus, Aeliorum scilicet, nec non Flaviorum, gaudentem. Laudatam jam AVRELIAM STATILIAM CLAVDIANAM, Statiliae atque Aureliae Gentis denominatione unà condecoratam. Exhibent VIBIAM SALVIAM VARIAM, Vibiae Gentis ac Salviae; VIBIAM AVRELIAM SABINAM, Vibiae Gentis et Aureliae nomine claras. MARIAM CAECILIAM PROCILLAM, non duobus tantùm, sed tribus Gentium nominibus, Mariae, Caeciliae, ac Procillae superbientem; ut innumeras mittam, quae ex Inscriptionum Antiquarum Collectoribus excerpere per se posset sapiens Lector.

Nec minùs plenè id constaret è nuperrimè edendis, quas ad duo millia operosè congessit, ingeniosèque supplevit ac emendavit Dominus meus Cl. Fabrettus, si quas tantùm, ipso benignè annuente, selegi, percurrerentur. Suntque h :

Romae in inferioribus mansionibus

CHRISTINAE AVGVSTAE Suecorum Reginae Natae; ad cujus solidam heroicarum Virtutum omnium, cunctarumque rerum notitiam haec infima atque extima jure confluunt in obsequium, ac famulantur.

L. BAEBIAE

SAL-

SALLVSTIAE
CRESCEN
TILLAE. C. F
VETERIS
SANCTITATIS
MATRONAE. ET
LECTISSIMAE
PVDENTISSI
MAEQVE. CONIVGI
CREPEREI
ROGATI. C. V

Romae. In hortis Matthaeiis sub Coelio.

NEVIAE. M[illegible]
ANTONIAE
RVFINAE. C. M. F
DOMINAE. ET
MATRI
INCOMPARABILI
NAEVIA
ANTONIA
RVFINA. C. F

In Ocriculi Ruinis.

Ex Biblioth. Barberina.

IVNIAE. LIVINEIAE
PRISCILLAE
M. LIVINEIVS. IIVIR

OCR. P. LIB. OB MER. E
PVBLICE
L. D. D. D

Romae. in impluvio SS. Dominici et Xisti.

DEAE. SANCTIS
SIMAE. TER
RAE. MATRI
AVRELIA. FLA
VIA. IVLIANA
C. F. VOTVM
SOLVIT

Romae. Post D. Calisti, in angulo à Sinistris, D. Cosimat. versùs.

L. SEPTIMIAE. PATA
BINIANE. BALBIL
LE. TY RH AE
NEPOTILLE. ODAE
NATHIANAE. CQ.
AVR. PVBLIENA
ELPIDIA. NVTRIX
PATRONAE. DVLCIS
SIME. ET AMANTISSI
MAE. FELICITER

Romae. Fragmentum in pavimento Ecclesiae D. Cosmatis, Via Valeria, propè Vicovarum.

DIS MANIB
ARRVNTIAE. (sic) PETALE. L. F
V. AN.

V. AN. XXXX
L. RVPILLIVS. DIADVMENVS
CO[sic]IVNX. ET RVPILLIA. BLANDALE
ET. L. RVPILLIVS. SECVNDVS. ET. LÆ[sic]
PIENTISSIMÆ[sic]

Neque, ſi in mulieribus non ſolùm, ſed in viris pariter id ſaepiſſimè uſuveniſſe aſſeram, mentiri me ſinet Panvinus de Antiq. Nomin. pag. 35. ant. med. *poſt Auguſti tempora duo nomina gentilitia multos uſurpaſſe, tàm apud Auctores, quàm in antiquis Inſcriptionibus* obſervans, *ut ſunt Ap. Annius Trebonius Gallus, M. Atilius Metilius Brauda, P. Coelius Balbinus Vibullius Pius;* qui ſanè Author duas ſubdit cauſas pro geminatione Gentilitii nominis, adoptionem nimirum, necnon Civitati adſcriptionem, et eruditiſſimè de more rationibus exempliſque id mirificè illuſtrat. At quoniam eoſdem viros altero nomine gentilitio auctos, antiquum ſeu proprium praenomen nunquam dimittere agnovi, propterea alios è marmoribus denuò ſumendos decrevi, qui, praenomine quocunque abjecto, ipſius vice, gentilitium nomen, ut in ſuperioribus foeminis, ad Aeliae Laelie exemplum, induant. Erunt autem, verbi causâ, ex Aeliâ atque Iuliâ Gente, Aelius Iulius: è Sergiâ atque Aſiniâ, Sergius Aſinius: ex Aemiliâ et Valeriâ, Aemilius Valerius: è Claudiâ ac ex eâdem Iuliâ, Claudius Iulius: è Flaviâ et Furiâ, Flauius Furius, ut è ſubiectis evidenter patet:
E Mazoch. pag. 31. 2.

AELIVS IVLIVS EVSEBIVS ET VLPIA VICTORINA
VIRI FECER SI
BI ET LIB. SVIS ET LIB. LIB. EORVM PRS. Q
SVIS

SVIS

Ex eod. pag. 173. verſ. 6.

ANNIAE ISIADI MATRI DVLCISSIMAE
SERGIVS. ASINIVS PHAINVS

Ex Apian. pag. 12. 1.

D. M.

AEMILIO VALERIO CXORINTHO HOMI
NI BONO QVI VIXIT ANN. XL. DEFVN
CTO HONORIBVS EDILICIIS ANTONIA
TORTONIA MARITO OBSEQVENTIS
SIMO B. M. F.

Ex eod. pag. 101. 3.

CLAVDIO IVLIO PACATO V. C.
COS. CAMP. OB EQVITATEM
IVDICII ET PATROCINIA IAM
PRIVATI ORDO BENEVENTANVS
PATRONO POST FASCES DE
POSITOS CENSVIT COL
LOCANDAM.

E Capac. lib. 1. c. 12.

Surrenti.

FLAVIO FVRIO. FAVSTO. V. C. TRIBVNO

AB.

AB. ORIGINE. PATRONO
OB. MERITA. LABORVM. SVORVM. VNIVERSVS. ORDO
ET. POPVLVS. SVRRENTINORVM
STATVAM NOBILITATI EIVS
FACIENDAM. CVRAVIMVS.

Quibus tandem addamus illum C. MAESIVM. AQVILLIVM. FABIVM. TITIANVM, à Gualther. in Inscript. Mazariae repertis, memoratum, cui egregiè concinit Lucius quidam Matrinius Aelius Farsuleius Felix Ianuarius, tot nominibus vel ipsam Anicii Manlii Torquati Severini Boethii nomenclaturam excedens. In Bibliothecâ Barberinâ is ita legitur:

DIS. MANIBVS
L. MATRINIO. C. F. QVIR
AELIO. FARSVLEIO
FELICI. IVNIORI
ORIVNDO. LEPTI. CIVIT
MIL. COH. IX. PRAET. > SERVI
MIL. ANN. XVII. VIX. A. LIIX
L. MATRINIVS. AELIVS
FARSVLEIVS. FELIX
IANVARIVS
FRAT. PIISSIM. ET. R. FECIT

Leuia

Leuia quaedam alia,
quae huic Inscriptioni tandem obiici possent,
nil de ipsius antiquitate, puritate, ac elegantia
detrahere;
praesertim, quum in priscis Aurei Saeculi Inscriptionibus
eadem saepe occurrant.

Caput X.

STructuram quidem ac symmetriam humani corporis, concors quaedam partium omnium ad capitis dimensionem conformatio, et harmonicus membrorum concentus naturae studio commendant. Verùm non ita (quod ad puram ac emendatam locutionem attinet) Civitates omnes ac Regiones suo, immo totius Orbis capiti Romae antiquitus responderunt. Ubique locorum non audiebatur tunc temporis Cicero, qui ab extremis quoque finibus barbariem pelleret; quandoquidem aureum illud eloquentiae flumen, per tot ambitus, impuris hinc inde scatentibus rivulis, turbatum, et à limpidà sui fontis puritate longè defluens, ad nos (ut ait Panegyrista) derivatio sera traduxit. Cautum quidem fuerat, ut Svetonius in Augusto refert, quod scriptiones in Coloniis publicandae, ad doctissimos Urbis viros priùs transmitterentur, ne quid in eas irreperet, quod illius Imperatoris aures, quem severum verborum censorem noverant, offenderet; sed hoc in decretis publicis, non privatis; aureâque illâ, quam vocant aetate, non argenteâ, non aereâ obtinuerat. Quum igitur, quo verè è priscis saeculis prodierit In-

scriptio nostra; definire non valeamus (etsi eam non latuisse Athenaeum, supra conjecerimus) unàque omnes extrà Latium, in domestico fundo, atque à privatis gentibus confectam agnoscamus, à decretis pariter est eam credere exemptam legibus, quibus illae perstringebantur, quas Imperatoribus, Consulibus, Censoribus, Tribunis, aliisque de Republicâ benemeritis, in Latino solo, seu mavis solio, tolli sancitum fuerat.

Quoties ergò, decantata adeò ac elegans ejus structura, levis alicujus, circa puram latinitatem, mendae insimularetur, mille privatarum exemplo se tegeret, ubi crebrò OPSECRO pro obsecro, CONIVNX pro coniux, MI pro mihi, OSSVA pro ossa, OXORI pro uxori, SECOS pro secus, VIBVS pro vivus, AVONCLO pro avunculo, POPOLVS pro populus, aliaque vulgò leguntur innumera, quae notant Cl. Spanhem. Dissert. 2. Boldon. pag. 76. 77. et alii, quibus omnibus recensendis, aetas deficeret. Pro omnibus ergò una sufficiat, purioris eloquentiae aevo, Lucio et Cajo Augusti ipsius liberis dicata, quae, quia extra Romanum agrum, Pisis scilicet, elaborata, ut observat idem Boldonius, plurimas voces, adeò crassam barbariem manifestè redolentes exhibet, ut ad eas redimendas ab Authoris hujus oppositionibus, incassum validior insudet eruditio. Caeterùm naevi sunt, non labes, quibus leviter aspersam, non turpiter foedatam diceremus Inscriptionem nostram, quandocunque Agathonis incuriae potiùs, quàm sequioris saeculi lapsui, vel prioris lapicidae inscitiae, sive novi transcriptoris indiligentiae non tribuamus τὸ Æ pro AE: τὸ OE pro AE: ÆLIA LÆLIA, inquam, pro AELIA LAELIA: COELO MOERENS pro CAELO MAERENS.

Sanè, non dissimili junctarum literarum diphtongo signata, promere possumus è Cimeliarchio nostro haec, quae descripta Legentium oculis subiicimus, consularia numismata, quorum primum,

primùm, ut patet, in familiâ Porciâ sic habet: P. LÆCA; po;




strema duo sic, in Pompejâ: PRÆFECTVS CLAS. ET ORÆ MARIT. in Aebutiâ: P. ÆBVTIO, praeter M. PLÆTORIVM in Plaetoriâ; et insuper duo, quae modò non occurrunt, sed me olim inspexisse memini in praeclarâ, necnon refertissimâ numorum consularium supellectile, quam nunc possidet, multis nominibus mihi semper suspiciendus, Franciscus Co: Mediobarbus Biragus, incomparabili Horum Studiorum accessione, Occonem exactissimè recognitum, ac uberrimè illustratum auctumque, breui editurus. Sic in Imperialibus penès Goltz. in Augusto pag. 52. fit obvius numus 37. ita inscriptus: L. BÆBIO PRISCO. 48. ita: L. CÆSON. et alii; praeter alterum, quantivis pretii, in luculentâ penu numariâ R. P. Cattanei Theol. eximii, Minorum Observantium S. Francisci Provincialis dignissimi. Est verò in Tiberio cum hâc epigraphe: L. CÆC. AQVIN. nominatimque in Aeliae Laeliae nostrae cognomento, apud eundem pariter: L. ÆLIO SEIANO, sicuti in d. Goltz. eodem loc. pag. 52. numism. 10. et Occone pag. 54. numism. 1: D. LÆLIO BALBO.

In eruendis quotidie Antiquae Romae ruderibus, lateres,

tegulae, imbrices, aliaque fictilia, quae saepè aliquo obsignata nomine emergunt, inter caeteras simul junctas literas, τὸ Æ passim ostendunt; ut è sequentibus, quarum ecthypum mihi lubenter indulsit doctissimus Fabrettus, eximium harum id genus figlinarum opusculum, maximo Eruditorum emolumento, propediem editurus.

In domo Eruditiss. Viri R. P. D. Severoli, trans Templum Pantheon.




Reperta Via Latina, inter II. et III. lap. ubi adest bivium Asinariae, ad dexteram versus Lateranas tendentis.



In la-

In latere, hortis Matthaeiis sub Coelio.



In latere, trans ductus Aquarum ad III. lap. Villa Hadriani prope Vrbem credita, ubi plures.




Harum


Harum verò, quae sequuntur, archetypa mihi liberaliter Idem elargitus est, Musei nostri caeteris addenda, ibique perpetuò remansura, in gratam animi nostri erga tantum Virum tesseram.

Via Cassia lap. IV. uno scilicet milliari ultra Pontem Milvium.









Sed ad

Sed ad rem nostram propiùs accedamus, atque consuetis Lapidibus, ad hoc praecipuè à nobis descriptis, manum admoveamus, praemissis duobus, ab eod. humanissimo Patre Cattaneo in Hispaniâ repertis, mihique perhumaniter impertitis. Norbae Cesareae igitur, nunc *Alcantara*, in Baeturiâ, vulgò *Estremadura*, in marmore quadrato longitudinis duorum palmorum, latitudinis unius, quadrante addito, propè D. *de Barantes.*

C. ÆLIVS
AMILCAR. F.

Et Stabi Augustanorum, nunc *Xatiua*, urbe Regni Valentiae, in domo Gubernatoris, ponè scalam, in basi marmoreâ:

CORNELIÆ
P. F.
PROPINQVÆ
C. IALDÆA. Q. F.
VERECVNDA
MATER

Romae. in Ecclesia S. Agathæ, à Card. Tit. S. Onuphrii Barberino restaurata. In pavimento.

[illegible]
[illegible]L. SIDONIA. COLV
[illegible]APABILI. ET. C. IVLIVS
[illegible]IVS. ET. C. IVLIVS. VITA
LI. MATRI. DVLCISSIMÆ
VT. MEMORIA. MRE
ET. SIBI. ET. SVIS. ET

SI.

IS. LIBERTABVSQVAE
RISQVE EORVM

Romae, In laterali prospectu
planitiei inferioris regalium Aedium Barberinarum ad Quatuor Fontes

haec Imperialis Inscriptio, literis pedalibus hinc et illinc terebratis; ac proinde denotantibus, earum lacunas inaurato aere quondam fuisse repletas, ut in Titi, Constantini, aliorumque Imperatorum arcubus observatur: Nisi tamen in medietate suppositâ ulcus subsit ac vitium, quod valdè subvereor; annuente praesertim consultisisimo inter eruditos Bellorio, Pontificum, necnon Reginae Antiquario, quem amicitiae, honoris, et commendationis causâ hic memoratum volui.

T. CLAVDIO. CÆS.
AVGVSTO
PONTIFICI. MAX. TR. P. IX.
COS. V. IMP. XVI. P. P.
SENATVS. POPVL. Q. ROM. QVOD
REGES. BRITANNIÆ. ABSQ.
VLLA. IACTVRA. DOMVERIT
GENTESQVE. BARBARAS
sic
PRIMVS. INDICIO. SVBEGERIT

Ibidem, In inferioribus mansionibus, omni id genus Lautitiarum vi refertis, in quadam arula pervenusta.

DIS M
SEX. POMPEIVS

ABSCANTIO
POMPEIAE
VALENTINAE
CONIVGI KARISSIMÆ
FECIT
VIXIT ANN XXIX
MENS. V. DIEB. VI

Romae, In Divorum Petri et Marcellini

Ecclesiâ, nunc Titulari Eminentissimi Principis, ac Vigilantissimi Archiepiscopi nostri HIERONYMI CARDINALIS BONCOMPAGNI, in Quo non minùs ampla, atque intima omnigenae eruditionis renidet cognitio, quàm Regale Ipsius Cimeliarchium, à nullo Authorum in dies non memoratum, haec Nostra Studia mirificè illustret.

I. I. IVLIVS
ORPHEVS
SIBI. ET
ORPHÆ
F. AN. XI
VIRGN
VENERI
CVPIDIN
INFERIOR

Ibidem, in Horto Parochialis Ecclesiae S. Dorotheae trans Tiberim.

D ❦ M

CL. CLEOPATRAE
QVAE. VIXIT. ANN

V. M. X. D. XXVI.
CL. SOTERICHVS
ET. PVLLAIENA
PAVLINA. PARENT
FILIAE. PIENTISSIMÆ
FRVNT

Ibidem, extra Portam S. Pancratii, in quadam vinea, reperta anno 1680, ac empta à Domino Alvares, Gallo, hujusmodi antiquitatum studiosissimo.

LÆLIAE SYMPHORVSAE
ZOSIMVS
PATRON. BENEMER.

Ibidem, ad S. Agnetem, in via Nomentana Inscriptio observata, ac fideliter exscripta à Io: Zaratino Castellinio, ut ex ipsius Schedis apud nos.

D. M.

LICINIAE ACTÆ
C. ATILIVS
SEVERINVS
MARITÆ
OPTIMAE

Ibidem, Fragmentum Aquaeductus, ex iisdem Sched.

ANI
IMP. CÆSAR
DIVI. F. AVG. EX S. C.
C ∞XXXII. P. C C X L.

Romae, ex iisdem Schedis.

VARIAE PHY
SI. VARIA SATVR
NINA PATRONÆ
BENEMERENTI
FECIT

Ibidem, Fragmentum repertum in vinea, in angulo plateae S. Georgii, ad Arcum Constantini, ab eodem Zaratino, ut ex iisdem Schedis.

DIIS FRETVS VITÆ INTREPIDVS ME [illegible]
FATORVM IN ME TVENS RERVMQ [illegible]
VICTOREM STATVI NOSTRORVM CV [illegible]

Ab eodem haec transcripta, atque addita suo Smetio fol. 141. vers. num. 17.

D. M.

AVLIAE LAODICES
FILIAE DVLCISSIMAE
RVSTICVS. AVG. LIB
ARCHITECTVS PATER
INFELICISSIMVS. QVÆ
VIX. ANN. VI. MENS. VI.
DIEB. III.

E Boldonio in Epigraphicâ lib. 5. cap. 4. memb. 1.

Pisis. Apud Equitem Bajulivum Caesarem Boncionium; nunc in ejusdem Villa ad Pugnanum Vicum.

D. M.

POM-

POMPEIAE
PRIMITIVAE
QVAE. V. A. XXVIII
M. IIII. D. XII.
T. POMPEIVS
PRIMITIVOS
PATER. ET
Q. MAECIVS
SEDATVS. CON
IVGI CARISSIMÆ
ET CASTAE FECER.

E doctiss. Spon. Recher. des Antiq. de la Vil. de Lyon cap. 5. pag. 107.

Au coin d'une rüe, proche l'Eglise de S. George, vis a-vis la Fontaine.

D. M.

ET MEMORIAE DVLCIS
SIMAE T. TITIOLÆ
QVAE VIXIT ANN. XVIII
M. VII. D. XXIII
FIRMANVS GALL'AR.
TABVLAR. CONIVGI
PISSIMAE ET ERGA SE
BENE MERITAE ET SIBI
VIVVS POSTERISQVE
SVIS SVB ASCIA
DEDICAVIT

Ex eodem Eruditiss. Viro ibid. cap. 6. pag. 146.

Frag

Fragment au coin de la rüe du Bessard, vers la Pescherie.

...M I O PRISCOE
...HILLÆ F. III. PROV.

E Cl. VVelser in Monument. post Rer. August. Vindelic. Comment. pag. 180.

In Peutingerorum Aedibus.

D. M. ET
PERPETVÆ SECVRITAT
OB MEMORIAE
PVSINTI. ET
VICTORINÆ SOCRS
ET PVSINIAE
CONIVGI DVLCIS
SIMAE ETVS

E Stephano Broelmano in specimine Historiae Agrippinensis, in Fragmento signat. num. 5.

MILIT
PRÆF. EORVM. ANN.
XXXIV STIPENDIORVM
XIV. H. S. E.

Ex eod. ibid. in arâ magnificâ et eleganti, sub num. 24.

DEÆ
VICTORIÆ
SACRV

E Sche-

E Schedis VVilh. Goesii Scabini Leiden.

VVest Capellae in Valachia.

DIS DEABVSQVE
PRÆSIDIBVS
PROVINCIARVM
CONCORDIAE
ET TOS.I.NA
CONSILIORVM

E Philippo Rhodio in pr. tom. Annal. Ferrar. M. S.

Nella Villa di Ostellato, nunc in dictae Villae Eccl. ad dexteram Arae Majoris.

D. M

CLAVDIAE
DICÆOSYNÆ
TI. CLAVDIVS
NARCISSVS
LIB. EID. COIV *sic*
PIENTISSIME
ET FRVGALISSIMÆ
B. M.

His etiam similia, nec pauciora subdi possent antiqua marmora, diphthongum AE in OE commutatam exhibentia, quoties Coelum pro Caelo ab Antiquis potuisse ritè usurpari non intelligeremus. Nam si Caelum à cavo fuisse deductum opinatus est Varro lib. pr. Ling. Latin. neque dubium sit, quin ad graecum nomen *κοῖλον* respexerit, quod cavum significat; si

οι grae-

oι graecum in oe latinum, non in ae transferri compertissimum est, quid prohibet, quin Coelum aequè ac Caelum scripsisse potuerint? Non secus ac utroque modo scribi posse *Mæcenas*, docet Moretus in schol. ad Horatium pag. 149. ut ea mittam, quae de eadem diphthongo, in secundâ potiùs syllabâ collocandâ, scitè congessit Meibomius in ejusdem *Mæcenatis* Vitâ, pag. 24. et 25?

Sic utroque scriptum Moerens, apud Inscriptionum Collectores videre est; quod et in Lapide Pisano, tam eruditè de more exposito, animadvertit doctissimus et nunquam satis celebratus P. Noris his verbis: *Variant tamen Scriptores diphthongum, quibusdam OE, aliis AE ea in voce adhibentibus; utrisque verò vetustæ Inscriptiones suffragantur. Cum AE legatur pag. 717.ult. 799. 8. Pag. 607. 4. hocce Epitaphium ponitur:*

Parce tuam coniunx fletu quaßare iuuentam,
Fataque MAERENDO sollicitare mea.

Et pag. 939. 1. in altero:

Nondum secura dum flet MAESTISSIMA mente
Occidit, et tristes decepit MAESTA fouendo.

In aliis tamen epitaphiis visitur diphthongus OE. pag. 669. 10. 673. 12. 712. 4. 719. 9. 832. 8. 851. 12. et pag. 1003. 4.

MOEsta soror, mOEsti fratres, mOEstique parentes.

Et pag. 556. 1. legitur:

AELIA AELIANA
PARens MOERens
FILiae MERenti
P. C

Sanè talem fuisse usum Bononiae, indicat nova haec Inscriptio Cl. Reines. quae est 2. sui supplem. et quam fideliter à tam solerti Viro adductam non ambigam.

Bo-

Bononiæ repertum in agro.

DIIS OMNIBVS COELESTIBVS
P. GAISIDIO Q. F. SABINIANO
FISTVLARIO. CANTORI. IMAGI
NARIO. ARITHMETR. VIXIT A. XLIII.
M. X. D. III. IN. FR. P. XXX. RETRO
XL. CVIVS INGENIVM ELOQVI NEMO

C. TIPHERNIVS C. F. SACERDOS.

icuti tribus hisce in diphthongis nequaquam errasse dici- Agathonem, ita nec quidquam peccasse credimus in prae- ione *IN*, ter tum ommissâ, quum suam Aeliam Lae- Crispidem *NEC COELO NEC AQVIS NEC TER-* jacere asseveravit. Praeter enim alia exempla, à Grutero er in hujus ommissionis defensionem delibanda, seu pro- ıda, eandem fulcit ac tuetur, Triplici Concinnitati no- juncta, compendiosa quaedam elegantia, quâ per ἔκλειψιν iositio illa saepè abiicitur, et nihilominus ab eadem sic 'essâ, sed tamen suppositâ, ablativum regi fingitur; ut quum aliquid, exempli causâ, Sulmone, vel Athenis fieri di- citur. Ita ingeniorum portentum Vossius de Sermon. con- struct. in lib. 7. de Art. Grammat. cap. 44. subdens: *hoc etiam locum habere in iis, quae multis adverbia videntur, cùm revera sint ablativi: ut, Mane venit; pro, de mane. item, venire luci, vesperi, tempori; qui antiqui sunt ablativi, integrèque fit, in luce in vespere, in tempore.* Sic Cicero Philip. 11. *Et nunc tota Asia vagatur.* Svetonius de Domitiano: *Natus est regione Vrbis se- xta.* Horatius lib. 1. Sat. 9.

Ibam fortè via sacra, sicut meus est mos.

Ac tandem in praecipuo casu nostro jacendi, Virgil. Aeneid. 12.

 Saxum

Saxum antiquum, ingens, campo qui fortè iacebat
Limes agro positus.

Et alibi:

Ehu terra ignota canibus data præda latinis,
Alitibusque jaces.

Terrâ igitur Marive jacere potuisse, non inconsultò hìc dicitur incompositum et informe Laeliae corpusculum; et ad haec duo tantummodò, utpotè humiliora loca, proximioraque nomina, referri debet illud verbum *IACET*, quotiescunque strictè sumatur; quatenus, inquam, humi stratum propriè, ac verè importat. Quòd si latè acciperetur, quatenus scilicet cum Eustathio, quid uspiam sepositum, atque reconditum significat; tunc cum Budaeo situm quendam denotat assignatum, ubi quid collocatur, ibique quiescit; quò respexit in Iliade Vlisses à Dolone petens: *ubi arma* non solùm, sed *equi jacerent*. Eo verò casu quid obstat, quin huic quoque particulae *COELO* congrueret? ut nimirum Author eminentiori cogitatione respiceret ad animam, (ni ejus expers fuisset Laelia) post corporis obitum Coelum assecuturam, ubi quiescere perpetuò conceditur. Ab hac sanè rectâ cogitatione non abfuit quondam Ethnica caecitas; hùcque aciem profectò erexit, (obliquo licèt, sicque miserando intuitu) Eloquentiae Lumen, quum de Repub. 6. majorem Scipionem ita minorem alloquentem induxit: *Sed quò sis, Africane, alacrior ad tuendam Rempublicam, sic habeto: omnibus, qui Patriam conseruauerint, aut auxerint, certum esse in Cælo, et definitum locum, ubi Beati æuo sempiterno fruuntur*; et Tuscul. 1. *Id è pontificio iure, & cæremonijs sepulcrorum intelligi licet: quas maximis ingenijs præditi, nec tanta cura coluissent, nec violatas, tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem, atque delentem, sed quandam quasi migrationem, commutationemque vitæ, quæ in claris viris, & fœminis dux in cælum soleret esse; in cæteris humi retineretur, & permaneret tamen.*

men. ex hoc & nostrorum opinione.

Romulus in cælo cum dijs agit æuum.

Consentit egregiè Lucanus, quum talem *definitum locum*, ad mentem Platonicorum describens, de Pompejo extincto ita carminibus lusit lib. 9.

Prosiluit busto, semustaque membra relinquens,
Degeneremque rogum; sequitur convexa Tonantis
Quà niger astriferis connectitur axibus aer,
Quodque patens terras inter, Lunæque meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitæ, patientes ætheris imi
Fecit, et æternos animam collegit in orbes.

Nec aliter ferè de Menoeceo, fortissimo illo Thebarum vindice, Papinius Theb. 10.

— — — *jam spiritus olim*
Ante Iouem, et summis apicem sibi poscit in astris.

Superesset denique, pro coronide, vindicandus *LVCIVS* noster ab eo, quod eidem opponi posset; quod nimirùm neglexerit in proprio nomine morem illum, de quo Ausonius:

Lucius una quidem, geminis sed dissita punctis
Litera: prenomen sic nota sola facit.

quòd videlicet ipse, praeter naturam praenominum, primâ tantùm literâ, puncto addito, hoc videlicet pacto L. signatorum, inveteratamque Inscriptionum consuetudinem, integer legatur scriptus in Lapide nostro, ni Triplex eadem semper Concinnitas, Authoris sui clientelam suscipiens, hanc ei tacitam impertiretur licentiam. Id enim omninò exigit deturbanda nequaquam Trium ubique vocum harmonia, quâ mirificè per totum sibi semper congruit numericus iste Lapis, non secùs ac carminum prosodia eundem Lucium integrè scriptum, pro rectâ scansione postulet, ut ex infrascriptâ metricâ Inscriptione, à Ferretio Musis lapidar. lib. 3. memor. 32. adductâ, liquet:

D. D. S

VRNA. BREVIS. GEMINVM. QVAMVIS. TENET. ISTA. CADAVER

ATTAMEN. IN. COELO. SPIRITVS. VNVS. ADEST [sic]

VIXIMVS. VNANIMES. LVCIVSQVE. ET. FLAVIVS. IDEM

CENSVS. AMOR. STVDIVM. VITA. DVOBVS. ERAT

Aptiùsqe ex eodem ibid. lib. 2. memor. 12.

D. M.

LVCIVS INGENTI ROMANA STIRPE VOLVMNVS

QVO CERNE IN GENTE FATA TVLERE MEA

Cui si non acquiesceret censura, atque in solutâ oratione persisteret, exemplaque in eâ quoque posceret, è Grutero desumat, interimque ex eod. haec quatuor tantùm habeat, pag. 913. 6. 631. 8. 794. 5. 1119. 7.

D M.

LVCIVS. GRATIVS. EVTICHES
DOMVM. AETERNAM. SIBI
VIVVS. CVRAVIT. NE. HEREDEM
ROGARET

D. M.

PRIMVLAE. COMITILLAE
QVAE. VIXIT. ANNIS. XX.

CI-

CIVES. MEDIOMATRIC.
A. MATERNVS. NEMASIVS
STRATOR. COS. ET
LVCIVS. LVCINVS. MENSOR
FRVMENTI. NVMER.

D M.

LVCIO. IVLIO
NICANDRO. P.
RECILLA. MENE
IANE. CONIV
GI. INCOMPA
RABILI. POSVIT

D. M.

LVCIO. SEVERIANO
FILIO
VIX. ANN. XVIII
D. XII. ET. VALERIAE
APOLLINARI
ET. AGATHVSAE
MAMMAE
IVL. CHRESTVS
FECIT
ET. SIBI. ET. SVIS

Ex Aliis verò haec alia; nimirùm à supramemorato Vvolfango Lazio lib. 3. pag. 316.

C. LVCIVS. L. F. AVLIAN. Q. PLAVSVRNIVS. C. F. VARVS

LVCIVS. VENTILIVS. L. F. BASSVS. C. OCTAVIVS. C. F. GRAC

CIN. IIVIR. PORTICVS. P. CCLX ET EXEDRAM ET PRONAON ET PORTICVM PONE SCENAM LONG. P. CLX.

A doctissimo Spon. Ignot. Deo. Ar. pag. 22.

LVCIVS LVCILIVS
DEO PENINO
OPTIMO
MAXIMO
DONVM DEDIT

A Cl. Reinef. Claſſ. 12. Inſcript. 20. et 25.

D. M.

LVCIO. CERVARIO. THALAMO
FILIO. PIISSIMO.
CERVARIA. GNOME. ET THALAMVS
PARENTES.
VIX. ANN. V. M. III. D. VI.
SIBI. ET SVIS

D. M.

LVCIO COMINIO ITALICO
FIL. PIENTISS. Q. V. A. XVII. M. II.
FECERVNT
GEMINIA BLANDA

VIBV-

VIBVLEIVS . HYPATVS
PARENTES BENE MERENTI.
IDEM PARENTES
VIBVLEIO CEDRO FILIO.

Ac tandem ab eod. in appendic. ommissorum pag. 1029.

MERCVRIO
SACRVM
LVCIVS TVTELLVS ET. SVI
V. S. L. M.

Sanè quod antiquitus uno ac altero quandoque scriberetur modo, Romae hoc anno à nobis observatum est duobus cognatis sibi invicem Arcubus: altero in Romano Foro, altero in Boario, Septimio Severo dicatis; sicque deductum è publicis, immo Imperialibus inibi Inscriptionibus, quae à levi quavis mendi suspicione se eximunt, potiùsque usui, seu abusui inferioris illius saeculi, quo manum senserunt ac scalprum, hujusmodi nominis incuriam ascribunt. Etenim quum prima, integris excisum literis, ita Lucium ostendat:

IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO. M. FIL.
SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. PATRI. PATRIAE. PARTHICO. ARABICO. ET.
PARTHICO. ABIADENICO. PONTIFIC. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST.
XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET.

IMP.

IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO. FELICI. TRIBVNIC. POTEST. VI. PROCOS. P. P.

OPTIMIS · FORTISSIMISQVE · PRINCIPIBVS

OB. REM. PVBLICAM. RESTITVTAM. IMPERIVMQVE. POPVLI. ROMANI. PROPAGATVM

INSIGNIBVS. VIRTVTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQVE. S. P. Q. R.

Altera, primâ tantum literâ eundem ita notatum exhibet:

IMP. CAES. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTH. MAX. FORTISSIMO. FELICISSIMO

PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. PATRI. PATRIAE. ET

IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AVG. TRIB. POTEST. VII. COS. III. P. P. PROCOS. FORTISSIMO FELICISSIMOQVE. PRINCIPI. ET

IVLIAE. AVG. MATRI. AVG. N. ET. CASTRORVM. ET. SENATVS. ET. PATRIAE. ET. IMP. CAES. M. AVRELI. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG.

PAR-

PARTHICI. MAXIMI. BRITANNICI. MAXIMI. ARGENTARI. ET. NEGOTIANTES. BOARI. HVIVS LOCI. QVI INVEHENT DEVOTI. NVMINI. EORVM

Et utrunque promiſcuè in unâ ac eâdem Inſcriptione viſitur apud laudatum Reineſium Claſſ. *6*. Inſcript. 5.

GENETHLIOS DECVRIO VERON
ENSIS SIBI ET L. ANNIO APPALO
ET ANNIAE GENISI PARENTIBVS
ET LVCIO ANNIO MARCELLINO
FRATRI ET VALERIAE OEBADI VXO
RIQVE FACIVND. CVRAV.

Haec pro Lucii nomine, omnibus literis expreſſo, congeſta, *AELIAE*, pari modo integro ſuo nomine notatae, adaptantur aequè et conveniunt. Licèt enim vices praenominis nunc ſuppleat, ſicque primis tantùm literis ita *AEL.* ſcribi debuiſſe videatur, ut paſſim; pluries tamen conſcribitur plenè ut infra. E Io: Lucio d. Inſcript. Dalmat. pag. 18.

AELIAE. VRSAE. QVAE. VIXIT. ANN. XXII.
MEN. VII. D. XVI. IVLIVS. HERMES. PATER
PET. STATIVS. DIONY. SOCLES
MARITVS. INFELICISSI.

Ex eod. ibid.

M. AVRELIVS. MARIVS
SELEVCVS
VET.

VET. ET. OPT.
ÆLIAE. CLAVDIAE
CONIVGI
INCOMPARABILI
ET. SIBI
VIV. POSVIT

Romae in D. Praxedis.

AELIAE. A. F. VALERIANAE
VIX. ANN. XXIIII. M. II. D. II.
AE VALERIANO. SCRIBAE. LIB. Q. III. DEC. PATRI ET
AE. BRISEIDI. MATRI. EIVS
FILIIS. POSTERISQVE EORVM
T. VALERIANVS. SOLVM. EMERVNT. ET

Ibid. prope S. Sebastiani extra moenia.

D. M.

AELIAE PRISCIANAE
VIX. ANN. V. M. II. D. II.
P. AELIVS. PRISCVS. ET
MANLIA. CLEOPATRA
FILIAE. DVLCISSIMAE

Ibid. in Villa Burghesia.

AELIAE. ROMANAE
CONIVGI, DVLCISSIMAE
M. AELIVS. MVCIANVS
RVFAS

SIBI.

SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS, LIBER
TABVS. POSTERISQ. EORVM

Etiam ſi duobus nominibus tertium ſit additum, quo pariter caſu primum, praenominis in modum, haud ſemper ſucciditur, ut ſatis antecedenti capite oſtenſum; et in hominibus ſimiliter fuiſſe obſervatum, ex infraſcriptis duabus tantùm, ne humaniſſimum Lectorem ulteriori moleſtiâ afficiam, conſtare poterit.

E Mazoch. ubi ſupra pag. 31.

AELIVS IVLIVS EVSEBIVS ET VLPIA VICTORINA VI-
RI FECER SI
BI ET LIB. SVIS ET LIB. LIB. EORVM PR. S. Q. SVIS

Romae repert. ext. port. S. Pancrat. uſque de ann. 1641.

D. M.

AELIVS GEMINIVS VARVS
GEMINIAE PROCIDI
ſic COIVGI INCOMPARABILI
B. M. P. ET
SIBI

Verùm de Epigraphe noſtrâ jam ſatis. Supereſt ut Lectorem beneuolum obnixè deprecer, ut redundantiam non ſecùs, ac defectum Hujus Opuſculi, pro ſuo erga me ſtudio (ſi quo fortè tenetur) indulgeat. Siquidem à primordio non tractatum, ſed epiſtolam meditabar; at materies in Codicem ſenſim excrevit. Neque enim congruum erat antè explanationem non praefari, nec reticendi erant eruditi Inſcriptionis Interpre-

terpretes: hinc à Vitiatâ quorundam Lectione ipsam redimere operae pretium erat: mox sententia nostra non ab Aethereis, atque Idealibus, sed à Terreis, à Communiter Accidentibus petita, aperienda. Inde nomina celebratae Laeliae, et inscribentis Agathonis exponenda. Ulteriùs consultum duxi de Eruditione, ac Artificio, insuper de Antiquitate, ac Puritate ejusdem nonnulla subdere; ac demum Trium Nominum oeconomiam, necnon Scribendi Rationem, antiquis firmatam praesidiis, ab Oppositionibus vindicare. Quod si imparem argumento, ac potissimùm in elocutione, ut profitebar, me deprehendit, studium tamen damnare meum, ut puto, non audebit, quo *MAECENATIS* Optimi beneficia, Patriae dulcissimae Monumenta, ac Eruditae Antiquitatis memoriam prò viribus recolebam.

COELESTI TERNO AENIGMATI

TRINO ET UNI

DEO ET HOMINI

VIRGINI ET MATRI

LAUS HONOR GLORIA

Intiero con tre tavole = verificato a 19 Xbre 1855 —
Ant.o Chiappi